



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Articvlvs Secvndvs. Vtrum sint ponendæ notiones in diuinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

Zumel. Mol. & Val. quæ apud eos vide si placet; A sunt tamen ex maiori parte desumpta ab A. nostro D. in 1. s. & de verit. q. 10. a. vlt.

CONTRA secundam concl. est argum. quartum Ban. quod est quintum apud Zumel. cui eadem responsione satisfaciunt. Videnda sunt que diximus in allegata contr.

CONTRA tertiam, & quartam concl. sunt argumenta, quæ producit & soluit Ban. post tertiam suam concl. & Zumel. post secundam & Suarez in dicto c. 11. nu. 102.

CONTRA ultimam conclus. quo ad primam eius partem est dictum Apostoli 1. Corin. 2. relatum hic à D. Thom. Loquimur Dei sapientiam, quam nemo principum huius sæculi cognouit, i. Philosophorum secundum glossam. Resp. primò Apostolum loqui de principibus sæculi formaliter ut principes sunt sæculi, quod eis convenit ex rationis & sapientiæ naturaliter acquisitæ præstantia; quamvis eorum aliqui notitiam aliquam habuerint prædicti mysterij modis iam dictis.

Secundo resp. eam cognitionem, quam Philosophorum habuere nonnulli ex libris Moyli & Prophetarum, non ita fuisse perspicuam, ut verè esset cognitio trium in vna deitate personarum, quo ad propria singularum constitutiva; sed quo ad appropriata tantum, ut hic ait S. Th. ad primum.

Sed contra respons. hanc adduci potest auctoritas D. Tho. in 1. s. ubi ait philosophos per essentialia tantum attributa diuinæ trinitatem cognouisse; & addit aliam responsionem de lectione sacrorum librorum & auditione ab alijs. Resp. secundam illam responsi. D. Th. intelligendam esse quo ad eum sensum, quem verè possent Philosophorum verba significare; quamvis talis ab eis sensus non fuerit intentus nec apprehensus.

CONTRA secundam partem eiusdem concl. producit Valq. ex Aug. Eugubino lib. 1. de perenni Philos. c. 1. & ex Suida ser. 3. & Lact. quædam dicta Platonis, Mercurij Trif. Damasc. & Oraculi Delphici, quæ eisdem aptè patiuntur glossas, quas adhibet S. D. eorundem Philosophorum dictis ad primum. Quare superuacaneum arbitror in eis recensendis & exponendis laborare; cum præferim Valq. post dictorum omnium relationem in fine primi capituli referat & approbet sententiam Eugubini deducens antiquos illos Philosophos aliquam, licet non omnino perfectam, Trinitatis notitiam habuisse: quo dicto confirmatur posterior illa pars ultimæ nostræ conclusionis; loquitur enim de imperfectione cognitionis, quæ non attingit propria personarum; alioquin imperfecta non esset Trinitatis cognitio.

DVAS hic versant controuersias Ban. & Zumel. PRIOR est, an de potentia Dei absoluta fieri possit, ut homo seclusa visione beatifica habeat notitiam euidentem mysterij Trinitatis? quam etiam tractat Suarez locis supra notatis. Huic aliam annectunt: an. s. euidentia in attestante valeat esse simul cum fide? Sedes huius controuersie propria est in 2. 2. q. 5. a. 1. & 3. p. q. 11. a. 1.

POSTERIOR est: an hoc mysterium Trinitatis possit efficaciter probari aduersus Iudeos, qui admittunt vetus testamentum: an solum aduersus hereticos, ex nouo testamento ab eis recepto? Sed cum hic loquatur A. D. de cognitione Trinitatis ex lumine intellectus naturali, prædicta verò quæ sita ad notitiam pertineant reuelatam, impertinentia sunt huic articulo manifestè. Remittantur igitur ad propria loca, in quibus vberius poterunt examinari ac domino largiente definiri.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Utrum sint ponenda notiones in diuinis.

AD Secundum sic proceditur, Videtur, quod non sint ponenda notiones in diuinis. Dicit enim Infr. q. 40. Dion. in 1. cap. de diu. nom. * quod non est audendum dicere aliquid de Deo, præter ea quæ nobis in sacris eloquijs sunt expressa: & sed de notionibus nulla sit mentio in eloquijs sacra scripturæ. Ergo non sunt ponenda notiones in diuinis.

2. Præterea. Quicquid ponitur in diuinis, aut pertinet ad vnitatem essentie, aut ad Trinitatem personarum. Sed notiones non pertinent ad vnitatem essentie, nec ad Trinitatem personarum, de notionibus enim neque prædicantur ea, quæ sunt essentie. non enim dicimus quod paternitas sit sapiens, vel creet. neque etiam ea quæ sunt personæ. non enim dicimus quod paternitas generet & filiatio generetur. Ergo non sunt ponenda notiones in diuinis.

3. Præterea. In simplicibus non sunt ponenda aliqua abstracta, quæ sint principia cognoscendi: quia cognoscuntur seipsis: sed diuina personæ sunt simplicissimæ. Ergo non sunt ponenda in diuinis personarum notiones.

Sed contra est quod dicit Io. * Damasc. differentia Lib. 3. hypostaseon id est, personarum in tribus proprietatibus, id est paternali, & filiali, & processionali, recognoscimus. Sunt ergo ponenda proprietates, & notiones in diuinis.

Respondeo. Dicendum, quod Præpositius attendens simplicitatem personarum, dixit non esse ponendas proprietates, & notiones in diuinis. Et sicubi inueniatur, exponit abstractum pro concreto. Sicut enim consueuimus dicere, rogo benignitatem tuam, id est te benignum: ita cum dicitur in diuinis paternitas, intelligitur Deus pater. Sed sicut ostensum est supra * diuinis utamur nominibus concretis, & abstractis. Quia secundum quod intelligimus, sic nominamus. Intellectus autem noster non potest perungere ad ipsam simplicitatem diuinam secundum quod in se est consideranda: & ideo secundum modum suum diuina apprehendit & nominat, id est secundum quod inuenitur in rebus sensibilibus, a quibus cognitionem accipit. In quibus ad significandum simplices formas, nominibus abstractis utimur: ad significandum verò res subsistentes, utimur nominibus concretis. Vnde & diuina, sicut supra dictum est, ratione simplicitatis per nomina abstracta significamus: ratione verò subsistentie, & complementi, per nomina concreta. Oportet autem non solum nomina essentialia in abstracto, & in concreto significare (ut cum dicimus deitatem & Deum, vel sapientiam & sapientem) sed etiam personalia, ut dicamus paternitatem, & patrem. Ad quod duo precipue nos cogit. Primo quidem hereticorum instantia. Cum enim confiteamur patrem & filium & spiritum sanctum, esse vnum Deum, & tres personas, quærentibus quo sunt vnus Deus, & quo sunt tres, sicut responderetur, quod sunt essentia vel deitate vnum: ita oportuit esse aliqua nomina abstracta, quibus responderi possit personas distinguere. & huiusmodi sunt proprietates, vel notiones in abstracto significantes, ut paternitas & filiatio. Et ideo essentia significatur in diuinis ut quid, persona verò ut quis: proprietates autem ut quo. Secundo, quia vna persona inuenitur in diuinis referri ad duas personas, scilicet persona patris ad personam filij, & personam spiritus sancti. Non autem vna relatione, quia sic sequeretur, quod etiam filius & spiritus sanctus vna & eadem relatione referrentur ad patrem. Et sic cum sola relatio in diuinis multiplicet trinitatem, sequeretur, quod filius & spiritus sanctus non essent dua persona. Neque tamen potest dici (ut Præpositius

172
171
195
Ca. 1. par. 8

q. 3. ar. 3. ad 1. præcipue
q. 13. ar. 1.

Locum nam proxime citatum

295

positius

positius dicebat) quod sicut Deus vno modo se habet ad creaturas, cum tamen creaturae diuersimodè se habeant ad ipsum, sic pater vna relatione refertur ad filium, & ad spiritum sanctum, cum tamen illi duo, duabus relationibus referantur ad patrem. Quia cum ratio specifica relationi consistat in hoc, quod ad aliud se habet: necesse est dicere, quod duæ relationes non sunt diuersæ secundum speciem, si ex opposito vna relatio eis correspondeat. Oportet enim aliam speciem relationis esse domini, & patris secundum diuersitatem filiationis, & seruitutis. Omnes autem creaturae sub vna specie relationis referuntur ad Deum, vt sunt creatura ipsius. Filius autem, & spiritus sanctus non secundum relationes vnius rationis referuntur ad patrem, vnde non est simile. Et iterum: in Deo non requiritur relatio realis ad creaturam, vt supra dictum est. *Relationes autem rationis in Deo multiplicare non est inconueniens. Sed in patre oportet esse relationem realem, qua refertur ad filium, & spiritum s. Vnde secundum duas relationes filij & spiritus s. quibus referuntur ad patrem, oportet intelligi duas relationes in patre, quibus refertur ad filium, & spiritum s. Vnde cum non sit nisi vna patris persona, necesse fuit seorsum significari relationes in abstracto, qua dicuntur proprietates, & notiones.

Ad Primum ergo dicendum, quod licet de notionibus non fiat mentio in sacra Scriptura, sit tamen mentio de personis, in quibus intelliguntur notiones, sicut abstractum in concreto.

Ad Secundum dicendum, quod notiones significantur in diuinis, non vt res, sed vt rationes quædam, quibus cognoscuntur persone, licet ipsæ notiones, vel relationes realiter sint in Deo, vt supra dictum est. * Et id eod, ea que habent ordinem aliquem ad actum aliquem essentialem vel personalem, non possunt dici de notionibus, quia hoc repugnat modo significandi ipsarum. Vnde non possumus dicere, quod paternitas generet, vel creet, sicut sapientia vel intellectus. Essentialia verò, que non habent ordinem ad aliquem actum, sed remouent conditiones creaturæ à Deo, possunt predicari de notionibus, possumus enim dicere, quod paternitas est æterna, vel immensa, vel quodcunque huiusmodi. Et similiter propter identitatem rei possunt substantiua personalia & essentialia predicari de notionibus: possumus enim dicere, quod paternitas est Deus, & Deitas est pater.

Ad Tertium dicendum, quod licet persone sint simplices, tamen absq; preiudicio simplicitatis, possunt proprie rationes personarum in abstracto significari, vt dictum est. c

Ratio Ordinis, & Sensus quæsti.

HIC INCIPIT agere S.D. de cognitione supernaturali diuinarum personarum per notiones habita: de quibus primò quærit; an sint in hoc a. Deinde tractat simul duas quæstiones, scil. quid est; & quomodo est in 2. ar. in quo quærit de numero diuinarum notionum. Demum agit de earum certitudine quoad nos in ult. a.

Quid sit notio.

In hoc quæsto tria sunt obseruanda. Primum est quid nominis ipsius notionis; Est enim propria ratio, non formalis, vt existimauit Ariminenis, sed obiectiua cognoscendi diuinam personam. Hanc diffinitionem optimè explicat Cai. Secundum est vsus huius nominis. Nam Cicero 3. libro Officiorum vtitur hac voce pro diffinitione & cognitione rei. Aug. lib. 5. de Trin. c. 6. ait: Alia notio est, qua intelligitur ingenuus, & alia qua intelligitur genitor. D. Dionys. cap. 1. de diu. nom. quod nos notionem dicimus, nominationem appellat. D. Basiliius lib. 2. contr. Eunom. propè fin. notiones nominat proprias personarum formas

Triagenera & notas & characteres. Tertium est distinctio di-

Naz. in 1. part. D. Tho. tom. 2.

A uinorum nominum, quorum tria sunt genera. ^{nominum diuinorum.} Nam quædam dicuntur essentialia; hæc verò sunt quæ diuinam significant essentialiam aut perfectionem vel attributum tribus personis commune, siue proferantur concretè, siue abstractè, vt Deus, Deitas, æternus, æternitas, potens, potentia & alia similia. Quædam dicuntur personalia, vt Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Quædam denique sunt notionalia, ea nimirum quæ significant relationes originis per modum actionis vel passionis, vt generans, genitus, spirans, spiratus, dicere, generatio, generare, spirare. Notiones autem sunt relationes formaliter in abstracto conceptæ & significatæ, quibus persone distinguuntur ab inuicem, vt paternitas, filiatio, spiratio & processio; quapropter earum nunc dicta nomina non appellantur notionalia; quia relationem non significant per modum actionis, sed per modum relationis & formæ abstractæ, qua persona constituitur vel saltem distinguitur ab alia. Cur autem relationes & non origines siue notionales actus, inter notiones enumerentur, duplex potest esse ratio: Prior est: quia relationes concipiuntur & significantur ad modum formarum permanentium: origines autem intelliguntur vt in fieri & vt viæ quædam à personis, vel ad personas. Posterior verò est; quia propria relationum habemus abstracta, non autem originum; nullum siquidem habemus abstractum genitoris aut geniti, sicut Patris & Filij; notiones autem sunt personarum rationes, quæ non nisi abstractè concipi aut significari possunt.

Forma Textus.

PROPOSITUM primò S.D. opinionem Præpositiui. Secundò confutat illam. Tertio respondet quæsito.

Opinio Præpositiui erat, non esse ponendas proprietates & notiones in diuinis; cuius radix seu ratio erat simplicitas diuinarum personarum: quia existimabat diuinæ simplicitati repugnare vt aliquid significaretur vt forma, qua constitueretur diuinæ personæ. Vnde dicebat sicubi in sacris litteris inueniantur huiusmodi abstracta nomina, exponenda esse pro concretis, vt sicut consueuimus dicere: Rogo benignitatem tuam, id est, te benignum: ita cum dicitur in diuinis paternitas, intelligatur & exponatur Deus Pater. Quod idem sentit Gilbertus Porretanus de nominibus essentialibus, vt Deitas & essentia: cuius error damnatus est in Concilio Remensi. Vnde eadem ratione posset error Præpositiui in aliquo Concilio condemnari.

Secundo igitur loco S. Tho. destruit radicem dictæ opinionis, & postea respondet quæsito vnica conclusione. Sic itaque argumentatur contra prædictam radicem. Intellectus noster secundum modum suum diuinam apprehendit & nominat, id est, secundum quod inuenitur in rebus sensibilibus, à quibus cognitionem accipit: sed in rebus sensibilibus ad significandum simplices formas nominibus abstractis vtimur; ad significandum verò res subsistentes vtimur nominibus concretis; ergo & diuina ratione simplicitatis per nomina abstracta significamus, ratione verò subsistentiæ & complementi per nomina concreta. Minor patet. Maior probatur: secundum quod intelligimus sic nominamus: sed intellectus noster non potest pertingere ad ipsam simplicitatem diuinam secundum quod in se est considerandam; ergo secundum modum suum diuinam apprehendit & nominat.

Postremò respondet quæsito tali CONCLV-

M

SIO-

SIONE. Oportet non solum nomina essentialia in abstracto & in concreto significare, ut cum dicimus deitatem & Deum, vel sapientiam & sapientem, sed etiam personalia, ut dicamus paternitatem & Patrem. Probatur dupliciter. Primo sic. A confitentibus Patrem & Filium & Spiritum sanctum esse unum Deum & tres personas, oportet responderi interrogantibus, quo sunt vnus Deus, & quo vel quibus sunt tres personæ; ergo oportet dicere, quod Deitate sunt unum, proprietatibus autem, scilicet paternitate filiatione & processione sunt plures. Consequentia probatur; quia sic & non aliter tribus interrogatiuis, scilicet quid, quis & quo reddimus propria responsiua; quoniam essentia significatur in diuinis ut quid, persona verò ut quis, proprietas autem verbi gratia paternitas ut quo. Secundo probatur eadem conclusio. Persona Patris vna refertur ad duas personas, scilicet Filij & Spiritus sancti, & non refertur vna relatione tantum; Ergo oportet in Patre distinguere duas relationes, quæ sunt duæ notiones, quæ sunt paternitas quæ refertur ad filium, & spiratio quæ refertur ad spiritum sanctum. Maior patet. Minor probatur. Si Pater vna relatione respiceret Filium & Spiritum sanctum, sequeretur quod etiam Filius & Spiritus sanctus vna & eadem relatione referrentur ad Patrem, sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur falsitas; quia sola relatio multiplicat trinitatem: Ergo si Filius & Spiritus sanctus vna relatione referrentur ad Patrem, sequeretur quod Filius & Spiritus S. non esset distincta persona, quod est hereticum.

Insunt.

Ad hoc argumentum respondet Præpositus & negabat maiorem, videlicet personam Patris non referri vna & eadem relatione ad personam Filij & Spiritus sancti. Et ad probationem negabat consequentiam; & rationem asserbat: quoniam Deus vnica relatione refertur ad creaturas, & tamen creaturæ pluribus relationibus ad Deum referuntur: & eodem modo dicebat Patrem vna relatione referri ad Filium & ad Spiritum S. cum tamen Filius & Spiritus sanctus duabus relationibus referantur ad Patrem. *Sed hanc responsionem* tripliciter arguit S. Th. Primo. Impossibile est, ut vna relatio specie respiciat duas relationes differentes specie; sed filiatio & processio quibus Filius & Spiritus sanctus constituuntur & referuntur ad Patrem, sunt relationes differentes specie; ergo non potest Pater vna relatione vtramque relationem respicere per vnicam specie relationem, qualis est paternitas: sed referri debet per duas, videlicet paternitatem & spirationem. Maior probatur dupliciter. Primo; quia ratio specifica relationis consistit in hoc, quod ad aliud se habet; ergo &c. Secundo exemp^o: quia oportet aliam speciem relationis esse domini & Patris, secundum diuersitatem filiationis & seruitutis, quæ specie distinguuntur. Secundo argumentatur ab opposito; quia omnes creaturæ sub vna specie relationis referuntur ad Deum ut sunt creaturæ ipsius; & ille ad eas ut est earum creator: At Filius & Spiritus sanctus non referuntur ad Patrem secundum relationem eiusdem rationis, sicut creaturæ quatenus creaturæ sunt ad Deum creatorem: Vnde exemplum de creaturis non est simile sed oppositum. Tertiò contra idem exemplum seu instantiam argumentatur ostendendo illud militare contra ipsum authorem scilicet Præpositum: quoniam relatio Dei ad creaturas non est realis: ergo siue relationes quæ sunt in creaturis ad Deum sint eiusdem rationis, siue diuersarum rationum, nullum est inconueniens admittere ex parte Dei eiusdem relationibus plures relationes respondere, siue eiusdem siue diuersæ speciei; quoniam Deus refertur ad creaturas relatione tantum rationis: multiplicare verò relationes rationis in Deo non est inconueniens, immò necessarium. Ex quo sequuntur duo. Primum est quod Præpositus assumit antedicens falsum, videlicet Deum vna relatione referri ad creaturas. Secundum ex illo exemplo deduci oppositum: nam quemadmodum pluribus relationibus creaturarum secundum rem differentibus correspondet etiam in Deo plures relationes secundum rationes differentes: ita pluribus relationibus realibus specie differentibus, quæ sunt in Filio & Spiritu S. oportet correspondere in Patre plures relationes reales: quoniam sicut illi ad Patrem realiter referuntur, ita Pater ad illos realiter refertur. Ex quo ulterius deducit S. D. quod, cum non sit nisi vna persona Patris, necesse fuit seorsum significare relationes illas duas in abstracto, quæ sic significatæ dicuntur proprietates & notiones.

PRIMA CONTROVERSIA.

An, & quomodo distinguantur notiones à personis.

FUIT Aureoli sententia, quam refert Caiet. ex sententia Capr. notiones in diuinis distinguuntur ex natura rei à personis, quarum notiones sunt, ut paternitatem à Patre, & filiationem à Filio.

Oppositam extremè sententiam tenuit Arim. in 1. dist. 26. relatus à Capr. in eadem dist. & à Caiet. in hoc a. Dicebat enim non esse necessarium propter instantias hæreticorum has in diuinis personis notiones collocare, & ab ipsis ratione distinguere; nam existimabat in diuinis abstracta nomina cum suis concretis esse synonyma. Eandem sententiam sequitur Gabriel in 1. dist. 18. q. 1. a. 3. dub. 1. Ad huius opinionem proximè accedit Molina distinguendo enim relationes, dicens eas dupliciter sumi posse: Vno modo præcisè ut cum essentia constituuntur; & personis: Alio modo, ut includunt essentia: quomodo paternitas dicit totū id in abstracto, tam absolutum quam respectiuium, quod Pater includit in sua ratione formali, & hoc modo relationes in abstracto solum differunt (inquit) à personis ratione concipientis. Eandem opinionem sequitur Vasq. supra dist. 121 c. 2.

S. Tho. autem hic & Cai. docent paternitatem & Patrem distinguere solo modo intelligendi & significandi ex sensibilibus orto; quod idem confirmat Cai. in 1. q. 40. a. 2. in resp. ad 1. D. Th. quam doctrinam alij sequuntur interpretes & præsertim Bannes qui paternitatem & Patrem affirmat distinguere ratione ratiocinata, & Suar. lib. 7. de Trin. c. 2. n. 6.

PROPRIVS huius controuersie locus est in 1. q. 40. a. 1. ubi querit S. D. utrum relatio sit idem quod persona. Sufficiet igitur hic, ea tantum breuiter attigisse, quæ ad intelligendam præsentis articuli doctrinam videntur esse necessaria. Hæc verò sunt tria. Primum est, quod hic ait S. Thomas nimirum intellectum nostrum apprehendere diuina secundum modum sensibilibus rerum: in quibus ad significandum simplices formas utimur abstractis nominibus; ad significandum verò res subsistentes utimur concretis nominibus; & ideo diuina tam essentialia quam personalia, ratione simplicitatis, per nomina (inquit) abstracta significamus; ratione verò subsistentiæ & complementi, per nomina concreta.

Igi.

Abstracti
& concreti
distinctio.

Contra Mo-
linam.

Igitur formale significatum nominis abstracti est forma, quatenus simplex; concreti verò nominis formale significatū est forma, siue res quatenus subsistens: constat autem in rebus creatis formæ simplicitatem & subsistentiam realiter esse distincta; igitur in diuinis distinguuntur ratione fundamentaliter, ac proinde concretum & abstractum in diuinis quo ad rationes eorum formales significatas non distinguuntur sola ratione concipiente, vt ait Mol. sed ratione fundamentum habente in eminentissima re diuina præhabente in se rationem omnem simplicitatis & subsistentiæ, vt latè superius ostendimus q. 28. a. 2. contr. 1. Et quemadmodum deitas totum includit, quod Deus, & tamen ab eo formaliter differt modo dicto, adeo, vt hæc propositio sit catholica: Deitas generat Deum: hæc autem hæretica: Deitas generat Deitatem, vt habetur de *summa Trinitate, & fide catholica*; ita paternitas in abstracto complete sumpta diuinam includit essentiam, quam etiam includit hoc concretum Pater, & nihilominus ab eo distinguitur formaliter, vt ante diximus, adeo vt hæc sit vera: Pater generat: hæc autem falsa: paternitas generat. Et quia subsistentia, qua formaliter distinguitur concretum ab abstracto, modus quidam est: ea propter Cai. & S. Th. quandoque dicunt concretum & abstractum distingui secundum modum concipiendi & significandi; quæ distinctio ob dictam causam fundamentum habet in re: sicut attributorum distinctio tam ab essentia quam inter se, vt hic etiam perspicue docet Cai. cum ait distinctionem inter abstractū & concretum ex diuina re oriri: ita vt in Deo sit aliquid vnde verificari possit abstractum & concretum; quia diuina res simplicitate abstractū, subsistentia verò concretum fundat: non autem quod in diuinis distinctio aliqua sit, ex qua deriuetur distinctio inter abstractum & concretum; similes enim distinctiones, vt alibi diximus cum Cai. ex re diuina procedunt, non vt effectus vniuoci ab vniuoca, sed velut æquiuoci ex æquiuoca causa, quæ scilicet non est in se distincta formaliter sed virtualiter tantum.

Secundum hic annotandum est diuinam simplicitatem duplicem compositionem excludere. Prior est materiæ & formæ. Posterior est subiecti & accidentis. Quatenus illam excludit sequitur idem esse in diuinis abstractum & concretum, vt deitas & Deus, paternitas & Pater. Quatenus autem hanc scilicet subiecti & accidentis excludit, sequitur omne quod attribuitur Deo idem esse quod eius essentia vel substantia; igitur secundum primam rationem simplicitatis & identitatis proprietates quælibet personalis idem est cum persona per eam constituta; nam idem est quod ipsa persona subsistens, vt paternitas idem est quod ipse Pater, & filio Filius, & spiratio Spiritus Sanctus: At secundum aliam rationem simplicitatis & identitatis, proprietates non personales sunt idem cum personis, vt communis spiratio est idem cum persona Patris, & persona Filij, vt ait S. D. *infra q. 40. a. 1. ad 1.*

Tertiū hic diligenter considerandum est necessitas nimirū abstractorum in materia diuinarum personarum, quam significat hic D. Tho. in *prima ratione contra Propositionem*, vt scilicet interrogantibus, quo vel quibus Pater & Filius & Spiritus S. sunt tres personæ, satisfiat dicēdo eas esse tres paternitate, filiatione & processione. Nam vt hic aduertit Cai. quem alij sequuntur interpretes, oportet interrogatio quo correspondere respon-

sum, quod ex proprio modo significandi significet vt quo, vt satisfiat interroganti; alioquin non quiesceret instantia querentis: Sola verò abstracta significant vt quo siue quibus, non autem concreta, quale est hoc nomen *persona*. Vnde querenti quo vel quibus Pater Filius & Spiritus sanctus sunt tres personæ, non satisfiat dicendo tres esse personis: supponit enim interrogans tres esse distinctas in Deo personas & querit formalia distinctiua. Constat autem personas ipsas non esse nec significari, vt formalia distinctiua formaliter loquendo, sed esse res ipsas inter se distinctas: abstracta vero singularum personarum, vt paternitas filio & processio formaliter significantur, vt distinctiua personarum formalia, hoc ipso quod abstracte significantur, & vt quo siue quibus. Quamuis igitur interroganti, quo nam vel quibus distinguatur Trinitas in diuinis, benè respondeatur eam personis distingui: querenti tamen instantius, quo vel quibus formaliter fiat hæc Trinitatis, id est, trium personarum distinctio, necesse est ea reddere distinctiua, quæ formaliter vt distinctiua significantur; hæc verò sunt abstracta personarum, quæ significantur vt formæ, quibus ab inuicem distinguuntur personæ. Hoc autem magis elucet, proposita de singulis interrogatione personis: Nam si queratur quo Pater est Pater: necesse est respondere: paternitate, & similiter de Filio & de Spiritu S. Hanc veritatem pluribus confirmant SS. ac Patrum dictis *Vasq. disp. 136. c. 2. & Suar. lib. 7. c. 1.*

PRIMA CONCL. Non distinguuntur notiones a personis formaliter ex natura rei. Hæc conclusio probatur illis omnibus argumentis, quibus in q. 28. a. 2. cont. 1. vsi sumus ad probandum hanc distinctionem non esse inter essentiam & attributa, & inter relationes & essentiam.

SECUNDA CONCL. Persona & eius proprietates aut notio non sunt synonyma. Hæc patet ex dictis, & præsertim ex prænotata controuersia.

TERTIA CONCL. Distinguuntur persona & eius proprietates siue notio, non tantum ratione concipiente, sed etiam ratione ratiocinata, siue habent fundamentum in re. Hæc probatur ex eisdem fundamentis quibus præcedentes.

VLTIMA CONCL. Necesse est in diuinis personalia significari non tantum nominibus concretis, sed etiam abstractis. Hæc patet ex tertio notabili.

CONTRA primam conclus. militant multa argumenta, quorum præcipua soluimus in d. contr. 1. a. 2. *de distinctione diuinorum attributorum, & relationum ab essentia.*

CONTRA secundam conclusionem argumentatur Gregor. Arimin. *Primò*. Nihil est per modum proprietatis in diuinis personis, nisi complexè significatum; At hic modus proprietatis non est in re, vel non differt à re nisi conceptione & loquutione nostra; Ergo &c. Maior probatur quia sequeretur personas non esse simplices: & explicatur quoad illam particulam, *nisi complexè significatum*; quia generare Filium proprium est Patris. Minor autem probatur; quia complexio est opus mentis. *Resp.* falsam esse maiorem. Ad probationem negatur sequela; nam proprietates siue notiones non sunt in diuinis personis vt formæ inhaerentes, aut informantes sibi rem, sed secundum rationem tantum inexistentes, quatenus principia sunt formalia cognoscendi. Sed de hoc *infra q. 40. a. 1.* Deinde falsum est nihil esse in diuinis per modum proprietatis, nisi complexè significatum; nam singulæ relationes personales proprietates quædam sunt, quæ tamen incomplexè significantur.

Ob. cont. 3.
concl.

CONTRA tertiam argumentatur Mol. supra q. 28. a. 2. disp. 3. Pater & Paternitas dicto modo sumpta distinguuntur, sicut Deus & Deitas; Sed hæc sunt idem omnino formaliter, & virtute sola quæ ratione ratiocinante distinguuntur, quatenus mens vnum & idem prorsus modo concipit in concreto propter subsistentiam, & modo concipit in abstracto propter simplicitatem; Ergo similiter Pater & paternitas sola ratione distinguuntur concipiente.

Sci. imp.

Resp. falsam esse minorem: immo ex hoc ipso, quod idem ex subsistentia concipitur in concreto, & ex simplicitate concipitur in abstracto, apparet in ipso distinctio virtualis siue fundamentalis, qua diuersis potest conceptionibus respondere, & distinctas propositiones verificare perinde ac si formalis & actualis esset in eo distinctio subsistentiæ & simplicitatis.

CONTRA vltimam argumentatur Greg. authoritatibus Aug. & Hieron. quibus respondet Cai. & alij recentiores post eum.

SECUNDA CONTROVERSID.

An sit possibile relationem vnam specie, respicere duas relationes specie differentes?

Ratio dubi-
sandi, &
Sententiæ
Doctorem.

RATIO dubitandi est; quia S. Th. in 3. p. q. 35. a. 5. docet eadem relatione referri vnumquemque ad suum patrem & matrem: cum tamen ibidem ad tertium dicat ex parte parentum duplicem esse relationem, vnam paternitatis & aliam maternitatis, quæ sunt specie differentes; eo quod alia ratione pater, & alia ratione mater sit generationis principium.

Mol. disp. 1. in fine existimat esse probabile relationem parentis in communi, vt sub se comprehendit Patrem & matrem, esse speciem infimam & distingui differentiis accidentalibus, quæ cum parente in communi efficiant compositum per accidens: sicut cum distinguitur homo in marem & foeminam. Eandem sententiam sequitur Zum. disp. 1. ad 2. arg. A. 6. id.

Ferrar. in 2. cont. gent. c. 12. §. Ex istis patet. duo dicit. Primum. In filio est vnica relatio materialiter, sicut fundamentum relationis in ipso est materialiter vnum: sunt autem duæ relationes formaliter, sicut & fundamenta formaliter sunt plura, & ideo licet vno nomine, scilicet filiationis, significetur relatio filij ad patrem, & relatio eius ad matrem, sunt tamen plures relationes in ratione relationis: quamuis in ratione rei sint vnum. Secundum est. Quod inquit S. Tho. quibus relationibus specificè distinctis non posse vnicam relationem ex opposito respondere, intelligitur de vnitate formali relationis, siue de vnitate eius in ratione relationis, siue de vnitate in ratione rei. Hanc sententiam sequitur Vasq. in notationibus ad a. & Suar. disp. Metaph. 48. sect. 17. num. 27. & 28. quamuis existimet Ferrar. non consequenter loqui, eo, quod supponat relationem esse quid in re distinctum à fundamento.

Denique Cai. hic dub. 2. docet hoc velle D. Th. nimirum impossibile esse vnam relationem secundum speciem habere extrema diuersarum rationum non partialium, modo inferius explicando; paternitas autem & maternitas partiales quædam sunt rationes vnius extremi, vt ibidem significat Cai. cuius sententiam sequuntur Sylu. Tor. Ban. & Zum. in discussu articuli, & Fonf. lib. 5. Metaph. c. 15. q. 4. sect. 3. & alij Thomistæ communiter.

SCIENDUM est primum ex D. Tho. 3. p. q. 35. a. 5. Resoluitur explicatur sententia D. Tb.

vnitatem relationis, vel eius pluralitatem non attendi secundum terminos, sed secundum causam vel subiectum; quo fit vt filius vna & eadem relatione referatur ad patrem & ad matrem, propter vnitatem causæ; nam vna & eadem natiuitate homo nascitur ex patre & matre: & ideo vna & eadem relatione ad vtrumque refertur: & eadem (inquit S. D.) est ratio de magistro qui docet eadem doctrina multos discipulos, & de domino qui gubernat diuersos subditos eadem potestate. Quod si fuerint diuersæ causæ specie differentes, erunt etiam relationes specie diuersæ: quemadmodum si quis sit aliorum quorum magister in Grammatica, & aliorum in Logica: alia est ratio magisterij vtriusque: & ideo relationibus diuersis vnus & idem homo potest esse magister vel diuersorum vel eorundem secundum diuersas doctrinas. Addit autem S. D. Et quia plures forme eiusdem speciei non possunt simul inesse eidem subiecto, non est possibile, quod sint plures paternitates in eo, qui est pater plurimum filiorum generatione naturali: secus autem esset, si esset pater vnus generatione naturali, & alterius per adoptionem. Et in responsione ad 3. sic ait: Vnum, & ens se consequuntur, vt dicitur in 4. metaph. & ideo, sicut contingit, quod in vno extremo relatio sit quoddam ens, in alio autem non sit ens, sed ratio tantum (sicut de scibili, & scientia Philosophus dicit in 5. metaph.) ita etiam contingit, quod ex parte vnius extremi est vna relatio, ex parte autem alterius extremi sunt multe relationes: sicut in hominibus ex parte parentum inuenitur duplex relatio, vna paternitatis, & alia maternitatis, quæ sunt specie differentes: propter hoc, quod alia ratione pater, & alia ratione mater est generationis principium. Si verò essent plures, eadem ratione principium actionis vnius (puta cum multi trahunt nauem) in omnibus esset vna, & eadem relatio; Ex parte autem patris est vna sola filiatio secundum rem, sed duplex secundum rationem, in quantum correspondet vtrique relationi parentum secundum duos respectus intellectos. Hæc D. Thom. vbi duo Caiet. aduertit. Primum est: cum ait S. Doct. in omnibus trahentibus nauem vnam esse relationem, intelligendum esse, non de vna relatione numero sed specie; nam diuersitati specificæ paternitatis & maternitatis, quæ sunt rationum diuersarum principia, contraponitur vnitas principij secundum eandem rationem in pluribus simul trahentibus nauem. Secundum est: Relationem filiationis ad patrem & matrem duplicem esse secundum duos respectus intellectus, in hoc sensu, quod sicut albedo vna secundum rem est multiplex secundum rationem; cum alia ratione sit visibilis & alia terminatiua sit alterationis; ita filiatio Socratis est vna res respectiua, & multiplex secundum multas rationes respectiuas ad patrem & ad matrem; non quia sola consideratione intellectus fiat duplex ille respectus, sed quia facit intellectus distinctionem rationis in illo vno respectu secundum rem, illum intelligendo vt respondet patri; & iterum vt relationem terminat matris. Vnde etiam Capreol. in 3. dist. 8. q. vnica ad 7. Scoti ait non existente patre aut matre eandem filij relationem manere quantum ad vnum respectum, desinere verò quo ad alium: sicut in eo contingit, qui duos habuit fratres & modo non habet nisi vnum. Quod idem affirmat Caietan. in 3. p. q. 35. art. 5. ad 1. dubium. Ad huius verò doctrinæ explanationem.

NOTANDUM est secundum illius propositionis D. Thom. quam examinamus, nimirum: Affertur eis Arist. radice Neceffe

alium propo-
sitionis:
Necesse est
dicere,
quod due
relationes
non sunt di-
uerse secun-
dum specie
etc.

Necesse est dicere, quod due relationes non sunt diuerse secundum speciem, si ex opposito una relatio eis correspondeat, eam esse radicem, quam hic ex Arist. *metaph. ca. de ad aliquid affert & explicat Cai.* quia videlicet nullum relatiuum dicitur bis; hoc autem quod est relatiuum semel tantum dici ex propria ipsius relatiui quidditate procedit; quia scilicet hoc ipsum quod est, ad aliud dicitur id est ad terminum, qui vnus omnino est. Sed hac vnitas termini potest esse duplex: vna numeralis, & hac necessaria non est in termino relationis; quia Socrates albus eadem relatione similitudinis refertur ad omnes albos. Altera est specifica, quae duplex est: vna, quae est diuersarum relationum partialium, quarum videlicet fundamenta vt partiales causas concurrunt ad vnum numero effectum producendum: sicut facultates siue actiones generatiue patris & matris respectu filij; neutrius. n. virtus aut actio per se sufficit ad filij generationem. Vna igitur ex vtriusque parentis concursu conflatur integra & perfecta nascentis generatio, qua filius procedit vnus numero. Quamuis igitur diuersa ratione concurrant in eandem generationem pater & mater, neutra tamen earum rationum est integra & per se sufficiens ad productionem effectus; & ob eandem causam, neque sola paternitatis neque sola maternitatis relatio per se constituit perfectum & integrum terminum & correlatiuum filiationis, sed, vt partes se habent vnus integri & adaequati extremi, cui ex alia parte responderet in filio vna specie relatio filiationis. Quemadmodum totum essentiale naturale, vna & eadem relatione respicit partes essentielles, quae sunt materia & forma; quamuis partes ad totum relationibus specie diuersis referantur. Alia est vnitas termini specifica, non ex pluribus veluti partibus consurgens, sed per se sufficiens & adaequata terminans: & talis est vnitas similis respectu similis, & serui vt hic respectu domini. Cum igitur ait Philosophus relatiuum bis non dici, non significat relatiuum ad duo solo numero distincta non dici; cum pater vnica relatione ad plures filios dicatur, & dominus ad plures seruos, neque intendit relatiuum bis non dici, hoc est non referri ad duo correlatiua diuersarum relationum partialium: id enim falsum esse iam probauimus. Sensus igitur verborum Arist. est relatiuum bis non dici. i. non referri ad duo correlatiua, non partialia sed diuersarum omnino relationum perfectarum; hoc autem esset, si relatiuum respiceret vnum terminum ex vna parte & alium ex alia: sicut in exemplo Arist. si scientia referretur ad scientem & ad scibile: cum tamen ad scibile tantum referatur, vt ibidem probat Arist. quicquid dicat Vsq. hic, & disp. 104. vbi contra Graecorum & Latinorum communem interpretationem nititur verba Philosophi ad oppositum sensum inflectere, vt etiam aduertimus supra q. 25. ar. 3. Hanc autem doctrinam de specifica relationis vnitate in prole respectu patris & matris, cum praedicta distinctione rationis, affirmat Petrus Fonseca veram esse, siue mater passiuè tantum concurrat ad generationem siue etiam actiuè cuius oppositum absque solido fundamento docet Suarez, vt apparebit ex solutionibus argumentorum.

Quid sit, re-
latiuum bis
non dici.

Relatiuum
vbi quod
interpretatio
vbi.

Suarez re-
sponsum.

Conciliatur
due posse
mensuren-
tia.

Ex dictis sequitur conciliari facile posse duas posteriores sententias: quamuis earum sectatores tam inter se, quam cum oppositae sententiae defensoribus in quibusdam pauci admodum momenti dissident. Nam quod ait Ferrar. vnicam esse materialiter & in ratione rei relationem in filio,

A duas autem formaliter siue in ratione relationis: hoc est, quod ait S. Th. relationem filiationis ad patrem & matrem duplicem esse, secundum duos respectus intellectos: quos quidem respectus non efficit intellectus consideratio, sed eorum tantum distinctionem vt ait Cai. quod est dictu, filium filiatione referri secundum rem ad patrem & matrem vno & eodem respectu secundum rem, sed diuerso secundum rationem in re fundatam, vt affirmat Suarez. Ex quo sequitur ulterius vt existente solo patre aut matre, remaneat nihilominus eadem filij relatio quo ad vnum eius respectum; quamuis cesset secundum alium, vt ait Capr. quem sequitur Fonseca: Nam si eadem est filij relatio ad vtrumque parentem vt ad vnum terminum relata, nec differt nisi ratione distinguente duos respectus, ob diuersas rationes partiales termini eiusdem relationis adaequati: consequens est, vt ablata vna ratione partiali terminandi, puta matre, & manente (quauis partialiter) termino secundum rem puta patre, cesset etiam relatio filiationis secundum eam tantum respectus rationem, qua terminabatur ad matrem: maneat autem simpliciter & secundum rem, licet in exercitio minus explicata. Nec aliquid admittit, aut confert ad veritatem praedictae distinctionis formalis in relatione filiationis identitatis, aut distinctio eius a fundamento, vt arbitratu Suarez, sed per accidens & impertinens omnino est vtrumque in re praesenti: Pendet e. *Suarez distinctio*
nim illa distinctio duorum respectuum in vna *resequitur.*
relatione, non ex identitate aut distinctione eius a fundamento, sed ex ratione termini eius totalis, qui duas includit specie distinctas relationes, sub diuersis suis rationibus partialiter terminantes. Ex quo manifeste sequitur relationem ad eas terminatam diuersa ratione ad duos illos partiales terminos terminari; alioquin non esset mutus formaliter respectus extremorum. An autem duo illi respectus filiationis aliquo modo sint actualiter distincti absque opere intellectus, patebit ex dicendis in seq. controu.

D PRIMA CONCL. Vna specie relatio non potest respicere duas relationes specie differentes, vt duos terminos totales. Hanc probat ratio S. D. in textu; quia sc. ratio specifica relationis consistit in hoc, quod ad aliud se habet &c. Et ratio Aristotelis; quia sc. relatiuum non dicitur bis.

SECUNDA CONCL. Vna relatio secundum speciem potest terminari ad duo extrema specie diuersa, vt partes vnus integri termini. Hae patet ab exemplo filiationis, cuius partiales termini sunt paternitas & maternitas, vt ostendimus.

TERTIA CONCLUSIO: Relatio filiationis ad patrem & matrem vna est materialiter & vt res est, & duplex formaliter siue vt relatio est: quae distinctio formalis eadem est cum distinctione rationis ratiocinatae. Probatur; quia secluso opere intellectus non distinguuntur illi duo respectus secundum se siue ex parte filiationis, sed tantum secundum extrinsecos terminos, ad quos refertur vna relatio filiationis; Ergo illa relatio est eadem materialiter, & distincta formaliter, id est, ratione ratiocinata. Probatur consequentia; quia distinctio duorum illorum respectuum actu non est in re, sed tamen habet in re fundamentum scil. relationem, prout duos respicit partiales terminos specie distinctos.

QUARTA CONCL. Non existente patre, aut matre remanet eadem relatio filij, quantum ad vnum respectum definit autem quoad alium. Hae conclusio patet ex dictis.

Argumentum. CONTRA secundam conclus. argumentatur Vasq. Quia verba Arist. in c. de ad aliquid perpetrare explicantur à Cai. Nam ibi solum contendit Arist. monstrare, non posse relatiuum referri ad terminum etiam relatiuum, sed ad absolutum, in ijs saltē in quibus alterum extremū solum extrinseca denominatione refertur, vt visibile; probat .n. Arist. visum nō referri ad visibile. *Resp.* falsum esse assumptum. Nec possum satis mirari virum aliās eruditum & perspicacem, contra planissimum litterarū sensum & communem omnium interpretum Græcorum & Latinorum, ac præsertim Angelici nostri Doctoris expositionem affirmare Philosophum in eo textu probare visum non referri ad visibile; cum nihil ibi magis intendat, vt vel ipsa verba per se satis aperte clamant.

Obi. 2. Secundò probat relationem filiationis, licet sit eadem secundum rem ad patrem & ad matrem, non tamen esse eiusdem rationis; quod etiam nos affirmamus cum D. Thom. & alijs in tertia nostra conclus.

Obi. 1. cōt. 2. CONTRA eandem conclus. & tertiam argumentatur Suarez. Si mater solum passiuè concurrat; Ergo relationes patris & matris ad filium erunt specie diuersæ, vel sunt termini formaliter diuersi, vel eos indicant; Ergo fieri non potest, vt eis respondeat vnica relatio in correlatiuo. Probatur sequela: Correlatiua specie diuersa, vel sunt termini formaliter diuersi, vel eos indicat; relationes autem habent diuersitatem ex terminis formalibus. *Resp.* consequens primum posse dupliciter intelligi. Vno modo de specifica diuersitate termini totalis, & sic falsa est prima consequentia; Alio modo de specifica diuersitate terminorum partialiū, & sic admissa prima, negatur secunda consequentia. Ad probationem responderetur eadem distinctione. Et præterea non est verum relationes habere diuersitatem specificam ex terminis, sed illas habent ex fundamentis, vt ante diximus ex D. Th.

Obi. 2. Secundò: Relatio effectus ad causam diuersi generis est etiam diuersa, siue illa materialis sit, siue formalis, siue efficiens; Ergo si causalitates patris & matris differunt, vt efficiens & materialis, relationes in effectu erunt diuersæ. *Resp.* antecedens verum esse de diuersitate relationis formali, siue secundum rationem ratiocinatam, non autem semper de diuersitate reali. Secundò verum est antecedens, quando illæ diuersæ causæ non concurrunt vt partiales ad vnum numero effectum.

Replica. Sed hanc responsionem impugnat Suarez. Quia si mater concurrat passiuè, tunc pater & mater non causant in eodem genere; Ergo non componunt vnā causam totalem, sed potius efficiunt collectionem causarum diuersorum generum, quæ sunt materia & efficiens. *Resp.* nullam esse consequentiam quia mater et si passiuè concurrat agit tamen preparando & ministrando materiam; Et præterea falsa est consequentia, quando instrumentū agentis, puta semen, coniungitur cum materia in vnum corpus, quod secundum diuersas partes agit & patitur.

Obi. cont. nra conclus. CONTRA vltimam conclus. argumentatur Suarez. Relatio pendet ex termino adæquato; Ergo difficile creditur est, quod relatio sit vna indiuisibiliter ad patrem & matrem; vt compleat vnā causam totalem: & tamen quod eadem relatio integra maneat ablato illo adæquato termino ex altera parte. Probatur consequentia; quia ablato vno parente iam illa filij relatio non potest habere suum adæquatum effectum forma-

lem: cum non possit referre filium ad vtrumque parentem; Ergo absolute non potest habere effectum formalem suum. Probatur sequela; quia cum indiuisibiliter illum causet, non potest conferre partem eius, & non totum: nec potest tota manere, quin conferat totum effectum; cum non maneat, nisi in subiecto vt inherens. *Resp.* relationem pendere ex termino adæquato dupliciter intelligi posse. Vno modo materialiter: Alio modo formaliter; & hoc dupliciter scilicet in actu signato & in actu exercito. Dico igitur ad argumentum. Si antecedens intelligatur de relatione materialiter sumpta, nullam esse consequentiam, vt patet de relatione paternitatis ad plures filios, vt ad vnum terminum adæquatum, quorum vno deficiente, remanet in patre eadem paternitas materialiter & secundum rem, vt explicat optimè Caietan. in 3. parte. Si verò intelligatur formaliter & in actu signato, negatur etiam consequentia; quoniam destructa vnus parentis existentia in rerum natura, non tollitur respectus filiationis in actu signato ad vtrumque parentem, sed tantum in actu exercito. Si verò intelligatur de termino adæquato relationis formaliter in actu exercito, negatur similiter consequentia; quoniam ablato vno parente, & altero tantum remanente, relatio filiationis formaliter non remanet, nisi prout respicit partem actu existentem, qui est eius terminus adæquatus secundum talem respectum. Manet igitur in eo casu relatio filiationis integra secundum rem siue materialiter, non autem secundum rationem siue formaliter; ob defectum alterius partialis termini. Ad probationem autem consequentiae dico ad antecedens filiationem non posse habere suum effectum formalem adæquatum simpliciter: habere tamen suum effectum formalem adæquatum, secundum talem respectum ad talem terminum; unde negatur consequentia qua inferitur; ergo absolute non potest habere suum effectum formalem: Et ad eius probationem negatur assumptum; falsum est enim respectum actuale ad vtrumque parentem esse effectum formalem omnino indiuisibilem filiationis; nam diuisibilis est formaliter & existenter seu in actu exercito.

TERTIA CONTROVERSIA.

An duæ relationes, quæ sunt in Patre scilicet paternitas, & spiratio, distinguantur realiter inter se, & similiter duæ relationes existentes in filio, scilicet filiationis, & spiratio?

P R I M A sententia est Durandi in 1. dist. 13. qu. 2. Sententia & quol. 7. dicentis prædictas duas relationes in patre esse realiter distinctas, cuius argumenta præcipua inferius adducentur & soluentur.

Secunda sententia est Syluestri super hoc articulo, qui duo dicit. Primum: Paternitas & spiratio sunt duæ relationes reales distinctæ realiter, nō distinctione rerum sed relationū. Manifestat hoc dictum suum distinguendo dupliciter aliqua distinguere realiter: Vno modo vt duæ res, vt homo & equus; alio modo tanquam in suis rationibus includentia diuersas res, vt quantitas & æqualitas. Ait ergo spirationem & paternitatem non distinguere realiter primo modo, sed sola ratione; sed secundo modo distinguuntur realiter per terminos connotatos realiter distinctos. Quod si quis dixerit relationes nō distinguere realiter, nisi sint oppositæ: verum est (inquit) de distinctione reali

reali eo modo quo distinguuntur diuersae res, non autem eo modo quo distinguuntur diuersae relationes. Secundo dicit duas illas relationes specie distinguui, ad quam distinctionem (inquit) sufficit, ut distinguantur per rationes, quando illae rationes includunt diuersas res vel terminos; quia ratio specifica relationis sumitur à termino, & hæc (inquit) distinctio sufficit ad convincendum præpositum; quia non intendit S. Th. notiones in Deo poni ut distinctas res, sed ut distinctas rationes cognoscendi, ut patet hic ex responsione ad secundum.

Tertia sententia est Ferrar. 2. cont. gent. c. 9. ubi cum Scotus sentit in diuinis essentiali & relationem distinguui ex natura rei; quoniam essentia secundum se includit tantum absolutam relationem, non includit, sed dicitur, ad aliquid. Ex quo sequitur, ut eadē rōe relationes diuinae, quae dicuntur ad terminos specie distinctos, distinguantur ex natura rei; quoniam paternitas secundum se dicit ordinem ad filiationem, & non ad processionem; & spiratio secundum se dicit ordinem ad processione, & non ad filiationem.

Quarta sententia est Capr. in 1. dist. 13. q. 1. a. 2. ad primū & sextum argumentum, quam etiam reputat probabilem Bannes arti. sequenti in 3. sua conclusionem. Sentit Capr. paternitatem & spirationem specie distinguui, & loquitur de distinctione formalis actuali absq; opere intellectus; immo si conferantur illae relationes cum suis argumentis, videtur Capr. admittere distinctionem realem, eo modo quo posuit eam Sylu. Pro explicatione huius opinionis solent afferri duo exempla. Primum est: Sicut Petrus actu & formaliter per eandem rem quae est albedo, similis est Ioanni & dissimilis Paulo; ita pater per eandem rem refertur ad filium relatione paternitatis, & refertur ad Spiritum S. relatione spirationis. Valet exemplum apud tenentes relationem non distinguui realiter à fundamēto. Secundum exemplum est: sicut idem calor ignis est in prima specie qualitatis & ponitur in tertia specie, & tamē est vnica res ille calor; ita paternitas & spiratio sunt vnica res, & tamen distinguuntur formaliter in duas relationes, quatenus duas illas habet rationes specie diuersas.

Tres alias opiniones refert Zum. quas consulto relinquimus: quoniam ex dicendis perspicua fiet in omnibus veritas.

Postrema sententia est Cai. quam sequuntur communiter recentiores super hoc & sequenti articulo, & Suar. li. 5. c. 5. 6. & 7. Hæc sententia negat omnem distinctionem realem formalem & omnem distinctionem formalem actuale ex natura rei; & affirmat distinctionem realem virtuale, & distinctionem rationis ratiocinata, quae etiam solet appellari distinctio formalis virtualiter siue eminenter.

Resolutio:
Aperitur
status con-
troversiae,
ex amplexu
naturae opinio
Durandi.

OMNIA relata Doctorū placita, præter opinionem Durandi, probabilibus etiam in doctrina D. Th. nituntur argumentis: quantum valeat, proponenda ex eodē A. D. fundamēta declarabunt.

Inchoandum est autem ab eo, quod communiter omnes prædicti consentunt cum D. Th. nimirum paternitatem & spirationem in patre duas esse relationes reales absolute loquendo; cuius rationem assignat hic S. D. ex specifica distinctione terminorum, & ex propria relationis natura, cuius ratio specifica consistit in hoc quod ad aliud se habet; & ex realitate respectus per distinctas duas relationes significati; refertur enim realiter pater ad filium paternitate, & ad Spiritum Sanctum spiratione. Quod argumentum

paucis complexus Caiet. dixit paternitatem & spirationem esse duas relationes reales: quia distinguuntur differentiis relationis: de quo infra differemus vberius. Tota difficultas & controuersia est de modo distinctionis dictarum duarum relationum, in quo tantopere dissident expositores. Cum enim affirmet simpliciter D. S. paternitatem & spirationem duas esse relationes reales: eo modo dicendum est eas distinguui, quo posito, dici valeant absolute distinctae, & duae relationes simpliciter enunciari; posita vero sola formali distinctione secundum rationem inter eas, duae quidem erunt secundum rationem, at simpliciter duae non erunt. Nam, ut hic aduertit Caietanus, esse duo secundum rationem, non est esse duo sed intelligi duo: sicut esse quantum secundum rationem, non est esse quantum, sed intelligi quantum. Consequens igitur est, ut vel realiter inter se distinguantur, aut saltem maior sit earum distinctio, quam rationis. Et hic est nodus, in cuius solutione mirifice vexantur expositores. Ad cuius euidentiam.

Secundo considerandum est in Deo quatuor esse relationes reales scilicet paternitatem, filiationem, spirationem, & processionem, ut probauit A. Doct. supra q. 28. art. 4. Cum autem in diuinis nulla sit realis distinctio, nisi per realem oppositionem relatiuam originis, ut in eadem q. artic. 3. probauimus cum D. Thom. sequitur eas tantum relationes inter se realiter esse distinctas, quae realem habent oppositionem relatiuam, siue ordinem originis ad inuicem. Ex quatuor autem prædictis relationibus tres tantum sunt, quarum singulae singulis opponuntur relatiuam aut secundum originem: Nam paternitas opponitur relatiue filiationi; opponitur autem processionem constitutivae Spiritus sancti secundum ordinem originis: quia Spiritus sanctus à Patre procedit. Similiter filiatio relatiue opponitur paternitati secundum originem verò processionem; quia Spiritus S. est à Filio. Denique processio opponitur paternitati & filiationi secundum ordinem originis, ob dictam causam; quia scilicet est relatio constitutiva Spiritus S. à Patre simul & Filio procedentis. At spiratio relatiue quidem opponitur processionem, quae spiratio passiva est, id est relatio confurgens ex spirari non tamen opponitur paternitati aut filiationi relatiue aut secundum originem, sed est relatio spiratorem constituens, qui secundum rem idem est, quod Pater & Filius, quatenus vnus sunt in virtute & proprietate spirationis; alioquin in diuinis non solum tres, sed quatuor essent personae: Nam cum spirator realiter distinguatur à spirato scilicet Spiritu S. propter relatiuam oppositionem originis, si realiter etiam distinguatur à Patre & Filio; iam in diuinis confurgit quarta persona realiter à tribus distincta; & sic in diuinis erit quaternitas non tantum relationum sed etiam personarum, quod est haeticum & damnatum à Concilio Later. sub Innoc. III. & refertur in cap. Damnamus, de summa Trinitate, & fide Catholica, ubi sic dicitur: In Deo solummodo trinitas est, & non quaternitas: quia qualibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura diuina. Et manifeste pugnat cum sacris litteris & publica doctrina fidei totius orbis Christiani, tres tantum in Deo personas consistentes.

Sed ait Dur. relationem spirationis, etsi realiter distinguatur à paternitate & filiatione, non esse personam ab eis distinctam: quia persona diuina est relatio subsistens incommunicabilis; spiratio vero subsistens quidem est, sed incommunicabilis non est.

M 4 est;

Confutatio. est; quia communis est Patri & Filio. *Ar turpiter* A
nimis allucinetur hic author; nam hoc ipso, quod
spiratio secundum Durandum distinguitur rea-
liter à paternitate & filiatione, realiter etiam di-
stinguitur à Patre & filio; Et cum sit per se sub-
sistens, sicut paternitas & filio, siue Pater &
Filius, erit persona realiter ab utraque distin-
cta, & consequenter utrique incommunicabilis:
Certum est autem spiratorem realiter à Spiritu
S. distingui propter oppositionem relatiuam;
Sequitur itaque manifeste ex opinione Duran-
di quaternitas personarum in diuinis. Qui plura
desiderat aduersus hunc errorem argumenta,
legat Zumel. in disp. 1. in 1. & in 4. concl. Mol. disp.
3. Val. super hoc artic. & Suar. lib. 5. de trinitate
cap. 5.

Explicitur
et sustinen-
tur senten-
tia Sylue-
stri & Ca-
preoli &
Pezzarijs.
Exclusa iam opinione Dur. inuestiganda est di-
ligenter propositæ controuersie veritas ex prin-
cipijs & doctrina sanctiss. præceptoris.

Notandum est igitur tertio ex D. Th. in 1. disp.
27. q. 1. a. 1. sub eo aliqua multiplicari, & non
esse vnum, cuius proprijs ac per se differentijs
distinguntur: vt ait Philosophus in 5. metaphys.
in cap. vno, & 4. Physicorum (exempli gratia) Iso-
scheles id est triangulus duorum æqualium la-
terum, & Isopleuros id est triangulus æquilate-
rus distinguuntur differentijs trianguli, & ideo
non dicimus eos esse vnum triangulum sed plu-
res. Non autem distinguuntur proprijs differen-
tijs figuræ, sed sub vna eius differentia continen-
tur: hæc verò differentia est in hoc, quod est ha-
bere tria latera, atque ideo dicuntur vna figura,
quæ est triangulus. Quæcunque igitur proprijs
ac per se differentijs rei distinguuntur, dicuntur
esse plures res: quæ verò sub vna rei differentia
comprehenduntur, ea non plures sed vna res tan-
tum erunt. Omnis autem differentia siue distin-
ctio rei in diuinis, fit per oppositionem relatio-
nis: Sola igitur oppositio relatiua rerum consti-
tuit multitudinem in diuinis. Paternitas igitur
& filio, siue Pater & Filius, quia relatiua ha-
bent oppositionem, sunt duæ res; at paternitas
& communis spiratio, cum non opponantur re-
latiue, sub vna rei differentia continentur, ac
proinde sunt vna res; sed quia distinguuntur dif-
ferentijs relationis, in quantum est relatio; id-
circo plures sunt relationes simpliciter loquen-
do. Relatio namque ex propria sui quidditate
ad alterum est, id est ad terminum; igitur iuxta
terminorum diuersitatem, erunt etiam differ-
entiæ relationum; refertur autem paternitas ad fi-
lium, vt proprium terminum, spiratio verò ad
Spiritus S. vt eius terminum; igitur paternitas
& communis spiratio sunt duæ relationes, quæ
uis sint vna & non duæ res. Huic discursui si do-
ctrinam addamus præsentis articuli, perspicua
nobis erit distinctio specifica paternitatis à spi-
ratione. Affirmat hic S. D. necesse esse dicere
duas relationes non esse diuersas secundum spe-
ciem, si ex opposito vna relatio (scilicet secun-
dum speciem) eis correspondeat. Cum itaque
filiatio & processio non sint relationes vnius ra-
tionis: sicut relatio creaturarum ad Deum, vt
sunt creaturæ ipsius, quæ est vna specie, vt ait
D. Th. dicendum est secundum mentem eius-
dem D. S. prædictas duas relationes in Patre ef-
fe specie distinctas, vt ait Capr. vt etiam latè su-
perius ostendimus q. 27. a. 4. contr. 3. de relatio-
nibus omnibus personarum constitutiujs & di-
stinctiujs ex D. Th. de potentia q. 10. art. 2. ad 12.

Differentia
per se rela-
tionis.

Specificæ di-
stinctio pa-
ternitatis,
& spiratio-
nis.

Obiectio.

Sed considerandum est, aliud esse dicere paterni-
tatem & spirationem distingui specie tanquam
duas res relatiuas; & aliud affirmare eas distin-

gui tanquam duos respectus reales. Nam primū
falsum est; quia non distinguuntur differentijs
rei: secundum autem est verum; quia distingui-
tur differentijs relationis, vt relatio est: Est e-
nim in Patre vna res relatiua duos habens distin-
ctos respectus reales, quos ait Syluest. realiter
esse distinctos, non distinctione rerum sed rela-
tionum. Quomodo autem hoc esse possit, appa-
rebit facile consideranti naturam relationis, iux-
ta eorum sententiam, qui negant eam distingui
realiter à fundamento. Hoc enim habet relatio
inter omnia genera singulare, vt eius multiplica-
tio siue distinctio specifica non exigit necessa-
riò rerum multiplicationem: sed esse possint
duæ relationes specie distinctæ, & tamen non
sint duæ sed vna res relatiua: sicut patet in exem-
plo superius adducto de albedine qua Petrus si-
milis est formaliter Iohāi albo & dissimilis Pau-
lo nigro: & lignum bicubitum sua quantitate
est æquale alteri bicubito & inæquale tricubito.
Sunt igitur paternitas & spiratio vna res respec-
tiua, & duæ relationes ob duplicem respectum
ad terminos realiter & formaliter inter se distin-
ctos. Nam prout in ratione rei considerantur &
significantur, modum induunt absoluti, & vt ha-
bent esse secundum se; hoc verò modo nec esse
nec dici possunt absolute plures res aut plura en-
tia; quia pluralitas addita simpliciter absoluto,
realem significat distinctionem.

Sed obicitur; quia multiplicato inferiori mul-
tiplicatur superior. Exempli gratia, bene sequi-
tur: sunt duo homines; ergo duo animalia; igitur
valet etiam deductio: sunt duæ relationes rea-
les; Ergo duæ res. *Cui obiectioni* dupliciter occur-
ritur. Nam primò valet propositio, quando infe-
rius multiplicatur differentijs rei: cum autem
dico, duæ relationes reales, non significo eas di-
stingui differentijs rei sed relationis tantum.
Secundò valet, quando inferius multiplicatur
simpliciter, id est quantum ad omnia, quæ clau-
duntur in eius ratione intrinsecè: relatio verò
in proposito non multiplicatur simpliciter, siue
quo ad omnia in eius ratione clausa; quia nec
prout dicit in, nec differentijs rei plurificatur,
sed tantum quatenus dicit ad. Et quoniam, se-
clusa quacunque operatione intellectus, pater-
nitas in patre realiter refertur ad filiationem,
tanquam ad adæquatum sui terminum: & spi-
ratio realiter refertur ad processionem, vt ad pro-
prium sibi terminum adæquatum & realiter di-
stinctum à filiatione, quæ terminus est paterni-
tis; probabile valde est paternitatem & spiratio-
nem ante omnem operationem intellectus di-
stingui formaliter actualiter, non in esse rei sed
in esse relationis, id est secundum rationem re-
lationis. Dixi autem id esse probabile; quoniam
sequendo communem sententiam, responderi
posset diuinam illam relationem, quæ paterni-
tas est & spiratio, vnam esse secundum se realiter
& formaliter; & ob summam diuinæ rei perfe-
ctionem, vtriusque relationis actum exercere,
non minus quàm si duæ relationes essent reali-
ter inter se distinctæ. Quemadmodum essentia,
intellectus, voluntas, aternitas & relatio sunt
vna res in Deo simplicissima realiter & formaliter:
& tamen quodlibet ex prædictis non minus
exercet propria, quàm si à quolibet alio realiter
esset distinctum. Essentia namque propriū quid-
ditatis & naturæ munus exercet, ac si nihil aliud
esset quàm essentia; & similiter intellectus diuinus
ita munus exercet intelligendi, ac si realiter di-
stingeretur ab essentia, volūate &c. Et simili-
ter dicendū est de volūate, aternitate, relatione
& alijs

Obiectio.

**solutio du-
plex.**

& alijs formaliter Deo inexistentibus. Quo fit ut cum reali & formali secundum se dictorum omnium unitate, sit virtualis inter ea distinctio æquivalens actuali & reali inter similes creaturarum perfectiones existentis: quod idem dicendum est & multò magis de duabus relationibus vnius personæ Patris, & similiter de duabus relationibus vnius personæ Filij.

Explicatur, & sustinetur sententia Caietani.

Iam verò pro defensione sententiæ Caiet. quæ sequuntur communiter expositores, obseruandū est posse quinque modis intelligi paternitatem & spirationem esse duas relationes reales. Primò ut sint due relationes reales realiter distinctæ, siue in ratione rei, ut voluit Durandus, siue in ratione relationis, ut voluit Sylu. Secundò, ut sint due distinctæ ex natura rei, ut voluit Scotus & Ferrar. Tertiò, ut sint due distinctæ specie siue formaliter in esse relationis tantum, ut voluit Capr. Quartò, ut sint due distinctæ virtualiter. Quintò, ut distinguantur secundum rationem actualiter. Ex his omnibus modis eligit Cai. duos vltimos tanquam veritati & doctrinæ S. Th. magis congruentes. Nam quòd sint due virtualiter id est perinde se habeant ac si essent due, hoc maxime consonat excellentiæ diuinæ rei, ut est in rerum natura, absque omni opere intellectus: sufficitque proposito & intentioni D. Th. Et ex hoc dicendi modo facile potest ad vniuersa argumenta responderi; ex quibus illud præcipuum est: quòd specifica diuersitas duarum relationum infert specificam diuersitatem duarum relationum illis ex opposito respondentium; At constat filiationem cui respondet paternitas, & processionem cui respondet spiratio, esse specie distinctas ab inuicem; Ergò etiam paternitas & spiratio specie distinguuntur. *Solutur* enim hoc argumentum ex præfato fundamento; nam specifica diuersitas duarum relationum infert specificam diuersitatem relationum sibi correspondentium formaliter vel virtualiter, ita ut illæ relationes correspondentes habeant distinctionem specificam in rerum natura actualiter vel virtualiter, id est perinde se habeant ac si haberent illam distinctionem actualiter. Atque ita censendum est in re proposita. Nam persona Patris habet duas relationes reales scilicet paternitatem & spirationem, sic ut vnaquæque vendit sibi propria, ac si essent seorsum actualiter due in re. Quo fit ut necesse sit duas prædictas relationes, tanquam duas Patris notiones in abstracto significare, ut habeamus quo vel quibus respondeamus querenti, quo Pater & quo spirator: Nam non eodem est Pater quo spirator: Pater enim ad Filium dicitur, spirator autem ad Spiritum S.

Vltimus etiam modus interpretandi distinctionem prædictarum relationum non displicet Caiet. videlicet ut distinguantur secundum rationem formaliter; quoniam (inquit) quæstio hæc non est de rebus absolutè, sed ut intellectus & significatis, ut patet ex hoc a. & seq. Vnde etiam cum dicimus Deum habere multas perfectiones reales, non significamus eas realiter esse distinctas: quoniam ut vtamur nomine significante aliquid reale in plurali numero, non necessario requiritur realis distinctio à parte rei: sed satis est significatum illius nominis formale, hoc est conceptus nostros multiplicari, & cuilibet conceptui verè correspondere à parte rei aliquid reale. Sicigitur in proposito, ut simpliciter enunciemus paternitatem & spirationem esse duas relationes reales: non est necesse eas esse realiter distinctas, sed tantum formaliter secundum

rationem; ut scilicet quemadmodum sunt distincta nomina, ita sint distincti conceptus in intellectu nostro: quibus singulis aliquid reale correspondeat: tamen illud non sit realiter distinctum.

PRIMA CONCL. *Paternitas & spiratio actiua sunt duæ relationes reales.* Hæc est conclusio S. D. in textu. Hæc patet ex tertio fundamento, & probant eam Bannes pluribus argumentis in seq. art. dub. 2. & Zumel. super hoc art. disp. 1. in 3. conclusi. & Suarez lib. 5. de Trim. cap. 7. firmitiora tamen sunt, quæ supra posuimus.

SECUNDA CONCL. *Paternitas & spiratio non distinguuntur realiter in esse rei.* Hæc patet ex eodem fundamento & probant eam vberius expositores prædicti.

TERTIA CONCL. *Probabile est paternitatem & spirationem distinguere realiter in esse relationis, ut ait sylu.* Hæc etiam conclusio colligitur ex eodem tertio fundamento, & tuetur eam Bannes in 3. sua conclusione.

QUARTA CONCL. *Non est absolutè dicendum paternitatem & spirationem realiter distinguere in esse relationis.* Probatur primò; quoniam ea propriè distinguuntur realiter, quæ sunt due res quarum vna non est alia; at paternitas & spiratio sunt vna res; Ergò &c. Secundò. Realis distinctio relationum in diuinis fit per oppositionem relationum; at due prædictæ relationes non opponuntur; Ergò. Itaque limitatè dicendum est paternitatem & spirationem distinguere realiter in esse relationis, quatenus ad distinctos realiter terminos nullo intellectu considerante referuntur.

QUINTA CONCL. *Multò probabilius est paternitatem & spirationem distinguere specie & formaliter in esse relationis, ut ait Capr.* Probatur primò. Quæ differunt diffinitione differunt specie: at paternitas & spiratio differunt diffinitione; Ergò differunt specie. Maior est euident. Minor probatur; quia diffinitio paternitatis est, cuius esse totum est ad Filium: spirationis autem diffinitio est cuius esse totum est ad Spiritum Sanctum.

Sed resp. falsam esse minorem propositionem: & ad probationem dicunt duas illas relationes distinguere tantum virtualiter, modo superius explicato: nec duas esse earum diffinitiones aut rationes formaliter, sed vnam tantum duas virtute continentem. *Contra hanc respons.* satis apertè sol. clamat littera D. Th. sic enim ait: *Cum ratio relationis specifica consistat in hoc, quòd ad aliud se habet: necesse est dicere, quòd due relationes non sunt diuersæ secundum speciem, si ex opposito vna relatio eis correspondeat.* Et post pauca: *Filius autem, & Spiritus S. non secundum relationes vnius rationis referuntur ad Patrem.* Et tandem concludens ait: *Vnde secundum duas relationes Filij, & Spiritus S. quibus referuntur ad Patrem, oportet intelligi duas relationes in Patre, quibus referatur ad Filium, & Spiritum Sanctum.* Hæc S. Thom. Vbi perspicue patet pro eodem accipi relationes esse vnius aut diuersæ speciei, & esse vnius aut diuersæ rationis. Cum itaque neget S. D. dictas duas relationes in Patre esse vnius rationis, haud dubium est affirmare non esse vnius, sed diuersæ speciei. Et confirmatur ex supradictis quæst. 27. artic. 4. Contr. 3. ex D. Thom. de pot. quæst. 10. artic. 2. dicente Patrem & Filium differre specie proprietatis personalis: Quot igitur in diuinis sunt relationes reales, tot sunt ea-

Conclusio- nes de du- bus, & probata.

Impugn.

sol.

FINIS

rum species; de omnibus enim est eadem ratio. Cum itaque sint quatuor in Deo relationes reales, sequitur in Deo quatuor esse relationū species ab inuicem differentes. Cum autem de distinctione specifica loquimur, absolute actualē semper intelligimus & formalem, non autē virtuale tantū; alioquin absolute dici posset multas esse in Deo perfectionum distinctiones específicas, propter virtuales attributorum distinctionem, quod nullus in Academia S. D. admit-
 tet. Hanc conclus. vt probabilem sustinet Bannes & est apud eum tertia, & patet ex tertio nostro fundamento, ex quo sic discuro. Quando S. Thom. ait in 1. paternitatem & spirationem distingui in esse relationis, & non in esse rei: vel loquitur de distinctione actuali & formali, vel tantum de virtuali: Si primum habetur intentū: Si secundum contra; quia falsum est paternitatem & spirationem non distingui virtualiter in esse rei; Ergo loquitur de distinctione formali & actuali. Et confirmatur; quia S. D. eo modo, quo negat distinctionem in esse rei, affirmat distinctionem in esse relationis; at illam negat esse actū; Ergo hanc affirmat esse in actu. - Quod si dicas difformiter accipi nomen distinctionis, vt scilicet in propositione negativa sit sensus formalis, in affirmatiua verò virtualis; equiuocationem admittis in discursu, qua tollitur efficacia argumenti. Præterea probatur eadem concl. auctoritate S. Th. in 1. distinct. 27. q. 1. a. 1. ad 3. vbi sic loquitur: Sicut attributa essentialia non sunt plures res, ita nec proprietates vni personæ convenientes, sed vna res, quæ est ipsa persona: sed tamen, quia relatio manet in diuinis, etiam secundum communem rationem generis, manet etiam relationis distinctio, in quantum est relatio: & ideo potest dici, quod sunt plures relationes, & vna relatio de alia non predicatur. Non sic autem est in essentialibus, quæ non manent ibi secundum communem rationem generis, vnde non distinguuntur secundum rationem alicuius communis, cum ratio in Deo sit: si tamen accipiat communem reale, vt significatur nomine primæ impositionis. Hæc S. Th. Ex quibus verbis argumentando vt supra probari facile potest S. D. loqui de distinctione specifica siue formali, & non virtuali tantum; nam virtualiter distinguuntur etiam essentialia.

SEXTA CONCL. Probabile est paternitatem & spirationem distingui ex natura rei in esse relationis. Hæc conclusio coincidit cum præcedente & probatur eisdem medijs nec alijs indiget probationibus.

ULTIMA CONCL. Maxime probabile est, & diuina simplicitati valde consonum, paternitatem & spirationem virtualiter tantum distingui. Probatur. Primò. Omnis distinctio in diuinis aut est realis aut rationis siue virtualis: Sed distinctio dictarum duarum relationum non est realis; Ergo est rationis siue virtualis. Maior habetur vt euident in doctrina D. Th. Et probatur; quia non sunt multiplicanda entia nec distinctiones in re simplicissima sine necessitate; at nulla necessitas est ponendi aliquam distinctionem actualem à parte rei inter prædictas relationes; Ergo &c. Minor huius argumenti probabitur soluendo argumenta pro præcedentibus conclusionibus huic oppositis. Minor autem principalis argumenti probatur; quia omnis distinctio realis in diuinis est per oppositionem relatiuam, qualis non est inter prædictas duas relationes. Secundò. Si dictæ duæ relationes distinguerentur specie siue formali-

ter aut ex natura rei, maxime hoc esset propter rationem & auctoritatem D. Th. in hoc a. At eius verba commodè patiuntur expositionem Cai. superius explicatam; Ergo &c. Tertiò S. D. infra q. 40. a. 1. ad 1. sic ait: Communis spiratio est idem cum persona Patris, & cum persona Filij: non quod sit vna persona perse subsistens, sed sicut vna essentia est in duabus personis, ita & vna proprietas, vt supra dictū est. Hæc ibi S. Th. Igitur eadem & non maior est distinctio spirationis actiue à Patre, & Filio, quam essentie diuinæ ab eisdem personis; at sola ratione distinguitur à personis essentialia; Ergo etiam sola ratione spiratio actiua distinguitur à personis, Patre videlicet & Filio secundum D. Th. Vltimò probatur conclusio: Quoniam vt prædicatum aliquod reale pluraliter enuncietur, non oportet illud realiter esse distinctum, sed sufficit distinctio virtualis in re, cum distinctione formali secundum rationem, modo superius explicato. Pro hac eadem conclusione faciunt ea omnia argumenta, quibus vtuntur expositores communiter aduersus opiniones Dur. Sylu. Scoti & Capreoli.

CONTRA secundam concl. sunt multa argumenta, quæ referunt & soluunt Capr. in 1. dist. 13. q. 1. a. 2. Bannes a. seq. Zumel. Mol. Val. super hoc a. & Suarez lib. 5. cap. 5. vsque ad 8.

CONTRA tertiam concl. argu. Torres. Primò. Paternitas & spiratio quatenus relationes non sunt oppositæ; Ergo nõ distinguuntur realiter quatenus relationes. Resp. nullam esse conseq. nam ad distinctionem relationum in esse relationis, non requiritur oppositio inter ipsas relationes, sed sufficit realis distinctio terminorum, ad quos referuntur: oppositio verò facit distinctionem relationum in esse rei.

Secundò. Vel paternitas & spiratio vt relationes, sunt diuersæ res vel vna. Si das primum; ergo quatenus res realiter distinguuntur. Si secundum; ergo quatenus relationes non distinguuntur secundum rem nec realiter. Eodem argumento vtitur Zumel. melius explicato, sic enim arguit. Vel illæ duæ relationes, quas dicis distingui in esse relationis & non in esse rei, sunt vna res absoluta vel relatiua. Si primum; hoc modo omnes aliæ relationes etiam oppositæ sunt vna res: quia sunt vna essentia diuina; & sic non magis sunt vnum paternitas & spiratio, quam paternitas & filiatio. Si verò dicas vnam esse rem relatiuam; ergo quatenus relatiua sunt vnum; Igitur non sunt duæ relationes realiter distinctæ in esse relationis.

Respondetur verum est secundum. Ad argumentum, quo probatur oppositum, negatur consequentia; si dictio vnum dicat vnitatem in esse relationis formaliter; est tamen vera, si dicat vnitatem relationis in esse rei. Nam licet sit vna res respectiua, est tamen duplex ratione terminorum; quia verè propriè & actualiter respicit duos terminos realiter distinctos.

Tertiò arguit Zumel. Relatio realis vt relatio est & secundum propriam rationem relationis, est ens & ens reale; Nam transcendentia intrinsecè prædicantur de omnibus rebus tam absolutis quam respectiuis; Igitur illæ relationes nempe paternitas & spiratio actiua, etiam in quantum relationes, sunt res; Sed in quantum relationes distinguuntur realiter, vt dicit tertia conclusio; Ergo etiam distinguuntur in quantum res, quod illa negat. Resp. verum esse quod relationes illæ etiam

Nota argu-
mentum.

Argumen-
ta. & solu-
tiones.

Obi. 1. cõl. 3.
concl.

Solut.

Obi. 2.

Solut.

Obi. 3.

Solut.

etiam

etiam in quantum relationes sunt res; quia scilicet realitatem includunt: Sed cum subsumitur, distinguuntur in quantum relationes, potest dupliciter intelligi; Vno modo vt distinguuntur in quantum relationes id est, in quantum res relatiuæ differentijs rei, & hoc nos non dicimus; alio modo quod distinguuntur in quantum relationes, non differentijs rei sed differentijs respectuum ad diuersos terminos, & hoc est quod dicimus; At ex hoc non sequitur: Ergo distinguuntur in quantum res; nam ea distinguuntur in quantum res, quæ sunt plures res quarum vna non est alia, & hæc distinctio in relationibus pender ab oppositione. Vel dic quod relationes in quantum relationes, prout dictio *in quantum* reduplicat rationem siue causam realitatis vt sic, non sunt res; quia ex respectu ad aliud non habent vt sint res, licet ille respectus sit realis.

Obi. 4.

Quartò arguit idem. Magis conueniunt paternitas & spiratio actiua, quam paternitas & filiatio; Sed paternitas & filiatio conueniunt in eo, quod est commune omnibus relationibus scilicet in esse in; Ergo paternitas & spiratio actiua debent conuenire non solum in illo communi, sed etiam in eo quod est proprium illi relationi; Ergo non distinguuntur in illo, quatenus relationes sunt. Resp. paternitatem & spirationem magis conuenire, quam paternitas & filiatio; quoniam priores duæ conueniunt non tantum in illo communi, sed etiam in vna re relatiua, cum nõ sint duæ res relatiuæ: cum quo stat quod sint duæ relationes distinctæ in esse relationis. Vnde non bene infertur conclusio scilicet Ergo conueniunt in eo, quod est proprium illi relationi.

Obi. 5.

Quintò arguit. Paternitas & spiratio, vt relationes sunt, vel sunt res diuersæ quarum vna nõ est alia, vel vna res: Si primum; Ergo quatenus res distinguuntur: Si secundum; Ergo quatenus relationes non distinguuntur secundum rem neque realiter. Resp. quod sunt vna res. Ad argumentum nego consequentiam: nam tantum sequitur: ergo quatenus relationes non distinguuntur vt duæ res, quarum vna non sit alia, non tamen sequitur: ergo non distinguuntur realiter vt relationes, id est vt respectus distincti; quoniam hæc distinctio realis respectuum stat cum vnitatem relationis in esse rei. Vbi aduertere, quod distinctio relationum quatenus relationes sunt, fit duobus modis: Vno modo in esse rei. Alio modo in esse relationis. Primo modo fit per oppositionem relatiuam. Secundo modo per ordinem ad terminos: Et propriè loquendo distinctio, secundo modo est relationum quatenus relationes sunt; quoniam attenditur penes propriam rationem relationis, quæ est ad aliud esse, & est formalis; quæ distinctio formalis non pender ab oppositione, sed à fundamentis relationum, & ab ordine intrinseco ad terminos. Et quia formalis est, ideo conuenit relationi vt relatio est, quatenus particula vt relatio est reduplicat propriam & specificam rationem relationis.

Obi. in ord. 6.

Contra eandem concl. argum. Val. Vsq. disp. 138. cap. 1. Multiplicato inferiori multiplicatur superius; Ergo si paternitas & spiratio distinguuntur in esse relationis realiter, distinguuntur etiam in esse rei relatiuæ. Respond. primò antecedens dupliciter intelligi posse: Vno modo de multiplicatione inferioris quo ad omnia in eo intrinsece clausa: Alio modo quo ad aliquam eius rationem tantum; in primo sensu est verum, in secundo est falsum. In propo-

A to verò relatio multiplicatur in esse relationis, quatenus tantum dicit ad, id est prout respicit distinctos terminos: non autem vt dicit in, siue vt res est. Nam paternitas & filiatio, etsi non distinguuntur vt dicunt in, distinguuntur tamè per oppositionem, quæ facit distinctionem relationum in esse rei. Secundo dico antecedens verum esse, quando inferius multiplicatur differentijs rei. Tertiò respondetur antecedens verum esse in hoc sensu, nimirum multiplicato inferiori, multiplicatur superius in proprio distinctiuo inferioris: proprium autem distinctiuum paternitatis & spirationis in proposito est relatio filiationis & processionis; nam relationes distinguuntur secundum terminos.

B Sed contra hanc responsionem argum. Val. Replica. 6.

Primò. Dato quod satis sit vt superius multiplicetur secundum proprium distinctiuum inferioris: falsum tamen est relationes tantum distinguui in esse relationis per terminos; quinimò plures relationes intrinsece seipsi sunt plures: per suos autem terminos non nisi extrinsece distinguuntur: Igitur si paternitas & spiratio sunt duæ relationes ante omnem operationem intellectus, oportebit vt realitas quæ est superior ad relationem, non solum multiplicetur in terminis, sed etiam in paternitate & spiratione secundum seipsas intrinsece. Secundo. Res debet multiplicari in terminis earum relationum, quæ ante omnem operationem intellectus sunt duæ relationes: Sed paternitas & spiratio sunt proprii duarum relationum termini, quæ ante operationem intellectus sunt duæ, videlicet filiationis & processionis; Ergo res debet multiplicari in paternitate & spiratione: quod est contra defensores illius sententiæ. Respondetur ad primum, sol. 1.

distinctio relationis in esse relationis præcisè sufficienter fieri per terminos, vt per se primò distinctiuos: distinctio autem relationis intrinseca, quæ fit per differentias ex fundamentis de sumptas, in rebus creatis est distinctio in esse rei, in diuinis autem est formalis. Vnde falsum est antecedens quo ad priorem partem. Ad sol. 2. secundum dico falsam esse maiorem propositionem: nam sufficit multiplicatio in esse relationis.

CONTRA quintam, & sextam concl. militat Argumenta. omnia argumenta superius adducta pro septima conclusione, quibus satisficit dicendo primò, necessario poni distinctionem specificam & actuale inter prædictas relationes; quia terminos habent realiter inter se distinctos, ex quibus causatur distinctio relationum in esse relationis vt sic. Secundo. Dicta D. Thom. tam hic quam in 1. melius & commodius accipi in proprio & formali sensu, quam glossentur secundum expositionem Caiet. Tertiò. Verba eiusdem S. D. adducta ex quest. 40. art. 1. officere; quoniam dispar est longè ratio de diuina essentia comparatione Patris & Filij, & de communi spiratione ad easdem personas comparata. Nam essentia diuina absoluta est, nec potest ab alio distingui, nisi per suam intrinsecam & absolutam rationem: At spiratio & paternitas relatiuæ sunt, ac proinde suam habent distinctionem in esse relationis ex terminis, ad quos referuntur, & similiter spiratio & filiatio.

Contra quintam conclusionem argumentatur Zumellus. Vel illa distinctio specifica est essentialiter in re ipsa, vel est per rationem saltem completiue & actualiter: si dicatur primum, est coincidere in sententiam Scoti: si secundum, hæc eadem difficul-

Obi. com. 75. concl.

solur.

tas posita. *Præterea.* Cum Deus non sit in genere, nulla est in eo species neque speciei differentia. *Resp.* ad 1. distinctionem illam esse in re ipsa, quo ad duplicem relatiuum respectum ad duos terminos, non autem inter duas relationes scilicet paternitatem & spirationem secundum se, siue in ratione rei; quia deest oppositio relatiua: Scotus autem duas illas relationes etiam secundum se distingui affirmat ex natura rei. Secundò dico, non esse absurdum concedere distinctionem ex natura rei inter relationes in esse relationis, ut etiam admittunt Ferrariensis & multò magis Sylu. *Ad secundum* respondetur, nec Capr. nec nos affirmare propriè speciem in diuinis, sed modo superius explicato.

ob. 1. cont. 6. concl.

Contra sextam concl. argumentatur Zumel. *Primò.* Ex hac sententia sequitur compositio in persona Patris & Filij; Ergò &c. Probatur antecedens; nam spiratio actiua est in illis; Ergò si non est per omnimodam identitatem, erit per compositionem. *Resp.* fallum esse antec. Ad probationem distingo antecedens; nam esse per omnimodam identitatem contingit tripliciter: Vno modo simpliciter, tam in esse rei quàm in esse relationis. Secundo modo in esse relationis tantum. Tertiò modo in esse rei; in primo & secundo sensu negatur sequela, in tertio conceditur. Sed nos non dicimus spirationem in Patre & Filio non esse per omnimodam identitatem rei; nec verum est ita distingui spirationem à Patre, sicut paternitatis ab homine secundum hanc sententiam, ut ei imponit Zumel. Nam paternitas ab homine distinguitur in ratione rei: non ita spiratio à paternitate, sed tantum in ratione relationis.

Obi. 2.

Secundò. Intelligere & velle non distinguuntur formaliter ex natura rei in Deo; Ergò nec paternitas & spiratio. Probatur sequela; quia istæ relationes resultant per illos actus, ut sunt in Patre; Ergò non magis distinguuntur quàm illi. *Præterea* (inquit) rationes factæ cōtra Dur. possunt applicari contra hanc sententiam Scoti. *Resp.* nullam esse conseq. Ad probationem negatur sequela; nam intelligere & velle ut sic, non sunt relationes, quæ distinctos realiter terminos respiciant. Si autem sumantur ut sunt actus notionales scilicet dicere & spirare, iam sunt relationes & distinguuntur ut relationes in esse relationis.

Ob. cōs. 7. concl.

Contra vltimam sunt argumenta Scoti, quæ proponit & soluit Zumel. & argumenta superius adducta pro sententia Capr. quorum solutio patet ex dictis & confutantur etiam à Banneio. *Vnum tantum* superest argumentum, quod fecimus ex discursu S. Th. in 1. nimirum: Vel S. Th. loquitur de distinctione actuali & formali, vel tantum de virtuali. &c. *Resp.* in diuinis aliqua dupliciter esse distincta virtualiter: Vno modo, quia possunt fundare diuersos cōceptus nostros perinde ac si essent tres omnino distinctæ; & hoc modo distinguuntur paternitas & spiratio in esse rei virtualiter, sicut etiam omnes diuinæ perfectiones; *Alio modo* distinguuntur in diuinis aliqua virtualiter, quia à parte rei habent distincta exercitia: sicut paternitas ita respicit filiationem & eam terminat, ut non respiciat, nec terminet processionem: & similiter spiratio ita respicit & terminat processionem, ut non filiationem: Non sunt autem prædictarum duarum relationum exercitia in esse rei distincta; quoniam exercitium earum in esse rei est esse realitatem, id est habere esse ratum & firmum in rerum natura: hoc verò esse reale vnum est du-

arum relationum, cum non opponantur. Et eodem modo respondetur ad aliam auctoritatem S. Th. *ex respons.* ad 3. in eodem a.

Proponitur secundum argumentum S. Doctoris, & responsio eius in forma.

SECUNDVM argumentum est. Quicquid ponitur in diuinis, aut pertinet ad vnitatem essentialiæ aut ad trinitatem personarum; Sed notiones non pertinent ad vnitatem essentialiæ, nec ad trinitatem personarum; Ergò non sunt ponendæ in diuinis. Probatur minor; quoniam de notionibus neque prædicantur ea, quæ sunt essentialiæ; quoniam non dicimus, quod paternitas sit sapiens, vel creet; neque ea, quæ sunt personæ; nam non dicimus, quod paternitas generet, & filiatione generetur; Ergò &c. *Respondet* S. Thom. & negat minorem quo ad secundam partem. Ad probationem negat antecedens quo ad vtramque partem, si vniuersaliter intelligatur. Et reddit rationem negationis; quoniam quædam essentialia, & quædam personalia vel notionalia, quæ de illis non prædicantur. Quæ verò sunt illa quæ prædicantur, & quæ sunt illa quæ non prædicantur, explicat S. Th. distinguendo primò essentialia & personalia, quorum duplex est differentia; nam quædam sunt quæ dicunt ordinem ad aliquem actum siue quæ dicunt aliquem actum: sicut hoc verbum essentialia *creat* & hoc verbum *generat* quod est personale siue notionale. Quædam alia essentialia & personalia sunt, quæ non dicunt ordinem ad aliquem actum nec aliquem actum, sed remouent conditiones creaturarum: sicut hoc nomen *æternus*, *immensus*, *incorruptibilis* & similia. Secundò distinguit prædicata siue sint essentialia siue notionalia, dicens duplici modo significari, vel adiectiue vel substantiue, ut hoc nomen *Deus*, & hoc nomen *Pater*. Quibus præmissis dicit tria. Primum. Quæ significant actum, de notionibus non prædicantur; quoniam notiones significantur in diuinis, non ut res sed ut rationes quædam, quibus cognoscuntur personæ: quæ tamen notiones vel relationes realiter sunt in Deo: & ideo eæ, quæ habent ordinem ad aliquem actum, vel quæ significant aliquem actum essentialem, vel notionalem, non possunt dici de notionibus; quoniam hoc repugnat modo significandi ipsarum. Secundum. Quæ non dicunt actum possunt prædicari; quoniam possumus dicere, paternitas est æterna & immensa. &c. Tertium. Substantiua propter identitatem rei prædicantur, siue sint personalia siue essentialia; nam dicimus, paternitas est Deus, & paternitas est Pater; & eadem ratione est sapiens vel generans substantiue, ut cumulatius explicabimus in sequentibus.

QUARTA CONTROVERSIÆ.

Quænam possint verè & congruè prædicari de nominibus diuinis abstractis, tam notionalibus vel personalibus, quàm essentialibus?

ORITUR hæc controuersia ex primo dicto Ratio datæ siue regula, quam statuit S. D. in respons. ad 1. ad 2. dicens ea quæ habent ordinem ad aliquem actum essentialem vel personalem, non posse dici de notionibus. quia repugnat modo significandi ipsarum.

Ratio dubitandi est, quam hic tangit Caiet. & cetera

Distinctio
virtualis
duplex.

sententie
expositæ

ceteri post eum expositores. Nam si ea quae habent ordinem ad aliquem actum essentiali vel personalem seu notionalem, non possunt dici de notionibus ob eam causam; quia hoc repugnat modo significandi ipsarum: sequitur has propositiones non esse veras: Deitas intelligit, deitas creat, sapientia gubernat, sapientia disponit: cum tamen sint verissimae, & duae postremae in sacris litteris habeantur expressae, cum innumeris alijs similibus in lib. Sap. & praesertim cap. 7. 89. & 10. Quod si praedictae verae sunt, eadem ratione videtur has esse veras: paternitas creat, paternitas intelligit, paternitas generat; eadem enim in vtrisque ratio militat. scilicet. modus abstracte significandi.

Torres in 4. parte commentarij huius a. & Zum. disput. 2. subnotant Cai. quod ad omnia abstracta regulam S. D. extenderit: cum tamen hic solum loquatur de abstractis, quae notiones sunt. Et forsitan (inquit Zum.) est alia ratio de abstractis in genere & de abstractis in specie, quae sunt notiones. Habet haec expositio fundamentum in illis verbis D. Thom. Vnde non possumus dicere, quod paternitas generet vel creet, sicut sapientia vel intellectus. Constat autem haec esse abstracta essentialia: non est igitur de omnibus abstractis eadem ratio. Constituit praeterea Torres quasdam regulas infra q. 39. a. 6. in 3. p. commentarij ad discernendam veritatem & falsitatem propositionum, in quibus diuina praedicata de se inuicem affirmantur, aut negantur: ex quibus illae dumtaxat hic à nobis erunt considerandae, quae veritati, quam quarimus, inueniendae fuerint opportunae.

Bannes & Zumel. tria dicunt. Primum. Veritas aut falsitas propositionum, in quibus aliquae actiones praedicantur de abstractis in diuinis, non solum consideranda est ex modo significandi ipsius abstracti, sed etiam ex propria ratione ipsius actionis, per quam aliquid procedit. Ad eius enim rationem pertinet, ut procedens sit distinctum realiter ab eo à quo significatur procedere, tanquam à supposito, pro quo supponit subiectum etiam abstracte significatum. Et ex hac regula decernunt has propositiones esse catholicas: Deus creat, deitas creat, Deus generat, Deus generatur, has autem esse haereticas: Deitas generat, deitas generatur. Secundum. eorum dictum est: Quia relationes non concipimus ut principia agendi, neque ut supposita quae agunt, neque ut terminos per se actionis; ideo falsa est haec propositio, paternitas generat. Tertium. Falsa est etiam dicta propositio ob aliam causam, nimirum, quia id, quod procedit per generationem, debet esse similei, à quo procedit tanquam à supposito, pro quo accipitur subiectum: paternitas autem propter modum significandi in abstracto non supponit pro Patre, sed tamen verificatur de illo: & ideo illa propositio, paternitas generat, aequiualeenter facit hunc sensum, quod generat aliquid simile paternitati in eadem specie proprietatis: & ita generaret aliam paternitatem, quod est haereticum.

Molina disput. 4. quasdam praestituit regulas, quas hic referre non est necesse. Sed quam habeant veritatem, apparebit ex dicendis inferius.

Caiet. tria dicit. Primum. Commune est omnibus abstractis non congruere operationibus ex suo modo significandi: sed tamen quorundam ratio formalis secundum se non habet ordinem ad opus, quorundam autem habet, ut sapientia ad ordinare &c. Secundum. Illa abstracta, quae ex re

Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.

formali significata opus respiciunt, congruam propositionem admittunt. Tertium. Reliqua abstracta, quae ex re formaliter significata non sunt principia operis, congruas enunciationes habere non possunt circa operationes. Eandem sententiam sequuntur Sylu. Iauel. & Vafq.

PRIMA REGULA. Omnis ea propositio vera est, in qua actio vel emanatio in concreto praedicatur de subiecto, quod significat principium, à quo procedit actio, vel supponit pro habente tale principium. Si vero subiectum nec significet principium actionis, nec supponat pro habente principium, falsa est propositio. Colligitur haec regula partim ex D. Thom. hic ad 2. & infra q. 40. art. 1. ad 3. & partim ex dictis Cai. supra notatis. Quae regula primò est explicanda, deinde limitanda. Et à communioribus inchoando. Proprium est propositionibus in quibus actio vel emanatio in concreto affirmatur de aliquo subiecto, ut non faciant sensum identicum sed formalem; quia scilicet denotant praedicatum conuenire subiecto ut principio, aut habenti principium à quo procedit actio. Secundò manifestatur haec regula quo ad priorem eius partem inductiue ex pluribus propositionibus; Nam haec omnes sunt verae: Sapientia disponit siue gubernat, intellectus intelligit, voluntas vult, essentia intelligit, vult, gubernat, creat &c. nam subiectum harum propositionum significat principium à quo emanat actio, ut patet. Haec vero propositiones: Deus creat, Deus intelligit, Deus generat, Pater generat, Pater creat, generas creat, genitus spirat & similes verae sunt ob aliam rationem in regula tactam: quia scilicet earum subiectum supponit pro habente principium dictorum actuum, ut patet ex q. 39. a. 4. Posterior vero pars eiusdem regulae manifestatur inductiue: Nam haec sunt falsa: proprie loquendo: Intellectus vult, voluntas intelligit, aeternitas creat, paternitas generat, filio creat, vel intelligit, spiratio vult &c. Harum enim propositionum subiecta, neque significant actionis principium, neque supponunt pro habente principium actionis, quae de quolibet dictarum propositionum subiecto praedicatur. Non sufficit tamen haec regula ad veritatem omnium earum propositionum, in quibus subiectum abstracte significatur. Nam si praedicatum significet realem productionem, & principium talis productionis non sit realiter distinctum à re producta, non sufficit ad veritatem talis propositionis, tale praedicatum secundum rem conuenire subiecto tanquam principio quo: quoniam inter producentem & productum debet esse realis distinctio. Quapropter haec propositiones sunt falsae: essentia generat, intellectus generat, voluntas spirat; quamuis enim essentia sit primum principium quo generationis, & intellectus sit principium proximum: quia tamen praedicatum realem significat productionem ad reale productum terminatam, necesse est principium quod producit realiter à producto distinguere. In dictis vero propositionibus non ponitur, nec supponitur aliud principium, quam essentia vel intellectus aut voluntas, & consequenter fit sensus, quodlibet horum esse productum ut quod & non tantum ut quo, & consequenter realiter distinguere à producto, puta Filio aut Spiritu S. quod est haereticum. Haec regula sic explicata complectitur regulam D. Thom. in hac respons. ad 2. videlicet ea quae habent ordinem ad actum aliquem essentiali vel personalem, non possunt dici de notionibus. Quamobrem dictio sapientia adiectiue sumpta, quae dicit ordinem ad actum, non potest proprie

Limitatio
regulae.

N

prae

prie & formaliter dici de paternitate. Continet A etiam glossam Cai. distinguens nomina abstracta, vt supra, & duo priora dicta Ban. & Zumel.

SECUNDA REGULA. Omnes illæ propositiones verae sunt in quibus actio vel id quod dicit ordinem ad actionem, predicatur in abstracto de subiecto. Probat. Nam quando actio predicatur in abstracto de subiecto, propositio facit sensum identicum: ac proinde ad eius veritatem sufficit, vt predicatum sit idem realiter cum subiecto. Quod fit vt sequentes omnes propositiones sint verae: essentia est intellectus: sapientia est volitio: intellectus est volitio: paternitas est sapientia: & aliae similes. Hæc enim predicata, licet sint actus vel actuum principia, non tamen significantur vt talia in actu exercito, sicut significatur principium sciendi in actu exercito, cum dico: paternitas est sapiens. Et ideo pertinet hæc regula ad eam, quam paulo ante retulimus ex D. Thom.

TERTIA REGULA. Omnes illæ propositiones verae sunt, in quibus actiones in concreto & substantiue, & in actu signato significata predicantur. Probat. quia tunc propositiones reddunt sensum identicum. Quare omnes hæc propositiones verae sunt: essentia diuina est agere diuinum: intellectus diuinus est velle diuinum: voluntas diuina est intelligere diuinum. Comprenderetur hæc regula sub illa communiore, quam postremo loco tradit S. D. in respons. ad 2. in illis verbis: Propter identitatem rei possunt substantiua personalia, & essentialia predicari de notionibus: possumus enim dicere: paternitas est Deus, & deitas est Peter. Limitanda tamen est, vt vera sit in actibus diuinis absolute significatis. Nam si addatur aliquid significans respectum ad tale vel tale obiectum, poterunt esse falsæ propositiones: veluti si dicerem, Deum, intelligere peccatum est vel le peccatum; aut Deum intelligere alium mundum est velle alium mundum; quia respectu talium obiectorum redduntur falsæ dictæ propositiones ob distinctionem rationis, quæ est inter predictos actus, vt notat Torres supra q. 28. a. 2. disp. 2. prope finem.

Limitatio.

QUARTA REGULA. Omnis ea propositio vera est, in qua predicatur actio substantiue & in actu exercito. Hæc regula sub illa D. Thom. postrema iam dicta continetur. Probat. ex doctrina D. Thom. in 3. dist. 5. in fine, in expositione litteræ, vbi statuit differentiam inter substantiua & adiectiua, quod substantiua significant non tantum formam sed etiam suppositum formæ, & ideo possunt predicari ratione vtriusque; & quando predicantur ratione suppositi, dicitur prædicatio per identitatem; quando autem ratione formæ, dicitur per denominationem seu informationem, quæ est magis propria prædicatione; quia termini in prædicato tenentur formaliter: Adiectiua verò solam significant formam: & ideo non possunt predicari nisi per informationem. Unde cum dico: paternitas est generans, accipiendo generans substantiue, prædicatum illud generans significat suppositum & facit sensum identicum & non formalem; atque ita non denotat actum generandi conuenire paternitati formaliter, sicut denotaret si dictio generans sumeretur adiectiue, sed significat idem esse paternitatem, quod illa res vel illud suppositum, cui conuenit generare, quod est verissimum. Nam paternitas est realiter Pater, cui Patri conuenit generare. Et in eodem sensu vera est hæc: paternitas est sapiens, accipiendo sapiens substantiue: reddit enim hunc sensum: paternitas est vna res cum eo, cui conuenit vt sit sapiens: hoc autem est Deus vel

Pater. Si verò sumatur adiectiue, falsa est ob ante dictam causam.

QUINTA REGULA ex D. Th. hic ad secundum est: Essentialia & personalia quæ non dicunt aliquem actum vel ordinem ad actum, sed remouent conditiones creaturarum, possunt de notionibus predicari. Probat. Nam possumus dicere paternitatem esse immensam & æternam: fit enim in omnibus ferè similibus propositionibus sensus identicus.

VLTIMA REGULA est. Ea quæ significantur vt distincta formaliter in actu exercito, non predicantur de inuicem in diuinis. Hanc regulam colligimus ex D. Th. in art. seq. in respons. ad 3. addita expositione Caietani. Manifestatur hæc regula: quia sicut non dicimus: attributum potentiae esse attributum scientiae, licet verè dicamus scientiam esse potentiam: ita non dicimus notionem paternitatis esse notionem spirationis aut innascibilitatis, neque paternitatem esse spirationem aut innascibilitatem: quoniam tam illa, quam hæc significantur vt distincta formaliter in actu exercito, vt explicat Caietanus & nos supra latè probauimus paternitatem & spirationem distinguimus formaliter in esse relatiuo: quæ formalis distinctio importatur formaliter nominibus paternitatis & spirationis hoc ipso, quod significat relationes vt ad distinctos terminos relatas. Explicabitur amplius hæc regula in articulo sequenti.

Ad has sex regulas reducuntur etiam illæ, quas tradit Torres in suprascripto a. 6. q. 39. & aliae quas ex eiusdem doctrina præscribit Ban. Zumel. & Molina. Aduerte tamen has regulas non extendi ad omnes omnino propositiones affirmatiuas & negatiuas, quæ de Deo formari possunt. Ad eas enim non pertinent, de quibus egimus supra in tota q. 31. Adiuncta tamen his regulis doctrina ibidem tradita, cognosci facillè poterit in qualibet de ijs, quæ in Deo sunt enunciatione formata veritas aut falsitas.

CONTRA primam regulam, qua parte continet sententiam Caiet. argumentantur Ban. & Zumel. Primo. Quemadmodum in Deo idem est quod agit & quo agit scilicet Deus & deitas, & ideo vtraque harum propositionum cõceditur: Deus creat & deitas creat; ita videtur hæc concedenda: paternitas generat vel creat; sicut etiam conceditur hæc: Pater generat vel creat. Respondetur maximam esse differentiam inter illa duo abstracta scilicet deitatem & paternitatem; quia deitas est principium formale, quo Deus creat; sed paternitas non est principium formale, quo Pater generat; quia relatio vt sic non est principium formale actionis. Quamobrem hæc est falsa: paternitas generat: fit enim sensus, quod paternitas sit ratio generandi, vel etiam quod sit suppositum generans, quorum vtrumque formaliter est falsum. Hæc autem est vera deitas creat: significatur enim deitas vt formale principium quo Deus creat; conuenit autem deitati esse ex sua ratione formali primum operationis principium.

Sed hanc respons. impugnant predicti expositores; quoniam sequeretur hanc pariter esse cõcedendam, deitas generat, sicut illa deitas creat; nam deitas est principium primum, quo pater generat. Resp. nullam esse conseq. Ad probationem dico primò essentiam non esse principium generationis secundum se, sed tantum vt in Patre. Cum autè dicitur deitas generat, nullo modo significatur relatio Patris vel persona Patris; & ideo fit sensus falsus, nimirum essentiam secundum se rationem esse generandi. Cū igitur essentia secundum se sit ratio creandi, redditur hæc propositio

positio vera, essentia creat. Secundò dico plenè huic argumèto fuisse satisfactum in eiusdem regula limitatione.

Obi. 2.

Solut.

Secundò sic arguunt. Sicut paternitas importat formaliter relationem, ita & pater: Ergo si ob dictam causam negatur hæc, paternitas generat, neganda etiam erit hæc, Pater generat, quod est hæreticum. Respondetur nullam esse consequentiam, propter maximam differentiam in modo significandi. Nam Pater significat formaliter paternitatem, sed in concreto & per modum suppositi & subsistentis; actiones autem sunt suppositorum suæ subsistentium: paternitas autem significatur ut ratio relatiua, qua pater subsistit ut pater: atque ideo non est eadem ratio. Ripa negat Patrem significare relationem formaliter: quod quomodo sustineri possit non video, cum eadem sit abstracti & concreti formalis significatio. Nam vtrumque puram formam significat, ut ait Aristoteles de albo in predicamentis, & explicat Caiet. in 7. capit. de ente & essentia versus finem. §. Ad quorum evidentiam, &c. quod etiam apertè significat S. Th. de hoc nomine Pater in q. 40. a. 4. ad 1. affirmans in eo dicto magistri, quia generat est pater, accipi nomen Patris prout designat relationem tantum; quod esse nullo modo posset, nisi Pater idem formaliter significaret, quod paternitas. Sed quia illud est concretum, hoc autem abstractum, idcirco significatum illius se habet ut res, cuius est existere & operari: huius autem ut ratio, quæ principium est cognoscendi.

Replica.

Sed hanc responsionem sic arguunt. Hæc propositio, paternitas generat, non significat paternitatem esse principium quo generationis, sed denotat esse id, quod generat: at hic sensus est verus. Ergo. Probatur maior. Nam hæc propositio, deitas generat, non facit hunc sensum, deitas est principium quo generandi; sic enim ellet catholica propositio: quæ tamen est hæretica; quia re vera facit sensum hæreticum videlicet, Deus est, quod generat aliquid à se distinctum. Minor probatur quia paternitas formaliter est ipse pater, qui generat. Ergo &c. Respond. primò falsam esse maiorem propositionem. Ad probationem negatur antecedens. Ad eius probationem negatur assumptum; non deitas absolute non est principium quo generationis, ut significat dicta propositio, sed est principium tantum ut in Patre. Secundò nego minorem. Ad probationem nego sequelam; quia differunt Pater & paternitas in modo significandi, qui maximè attendendus est in discernenda propositionum veritate & fallitate.

Solutio.

Contra eandem regulam & secundam sunt quædam argumenta non magni ponderis, quæ profert & soluit Torres in postrema parte commentarii huius a. & infra q. 39. a. 6. in ultima parte commentarii.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum sint quinque notiones.

183.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, quod non sint quinque notiones. Proprie enim notiones personarum sunt relationes quibus distinguuntur. Sed relationes in diuinis non sunt nisi quatuor, ut supra dictum est. Ergo & notiones sunt tantum quatuor. 2. Præterea. Propter hoc, quod in diuinis est vna essentia, dicitur Deus vnus: propter hoc autem, quod sunt tres personæ, dicitur Deus trinus. Si ergo in diuinis sint quinque notiones, dicitur quinus. Quod est inconueniens.

A 3. Præterea. Si tribus personis existentibus in diuinis sint quinque notiones, oportet, quod in aliqua personarum sint aliquæ notiones duæ vel plures, sicut in persona patris ponitur inascibilitas, & paternitas, & communis spiratio. Aut igitur istæ tres notiones differunt re, aut non. Si differunt re, sequitur, quod persona patris sit composita ex pluribus rebus. Si autem differunt ratione tantum, sequitur, quod vna earum possit de alia predicari: ut dicamus, quod sicut bonitas diuina est eius sapientia propter in-differentiam rei: ita communis spiratio sit paternitas. Quod non conceditur. Igitur non sunt quinque notiones.

Sed contra videtur, quod sint plures. Quia sicut pater à nullo est, & secundum hoc accipitur notio, quæ dicitur inascibilitas: ita à Spiritu sancto non est alia persona. Et secundum hoc oportebit accipere sex notiones.

4. Præterea. Sicut patri & filio commune est quod ab eis procedat Spiritus sanctus: ita commune est filio & Spiritui sancto, quod procedant à patre. Ergo sicut vna notio ponitur communis patri & filio: ita debet poni vna notio communis filio, & Spiritui sancto.

Respondet. Dicendum, quod notio dicitur id, quod est propria ratio cognoscendi diuinam personam: Diuina autem persona multiplicatur secundum originem. Ad originem autem pertinet à quo alius, & qui ab alio: & secundum hos duos modos potest innotescere persona. Igitur persona patris non potest innotescere per hoc, quod sit ab alio, sed per hoc, quod à nullo est. Et sic ex hac parte eius notio est inascibilitas: & sed inquantum alius est ab eo, innotescit dupliciter. Quia inquantum filius est ab eo, innotescit notione paternitatis: inquantum autem Spiritus sanctus est ab eo, innotescit notione communis spirationis. Filius autem potest innotescere per hoc, quod est ab alio nascendo, & sic innotescit per filiationem. Et per hoc, quod est alius ab eo, scilicet Spiritus sanctus, & per hoc innotescit eodem modo sicut & pater, scilicet communis spiratione. Spiritus sanctus autem innotescere potest per hoc, quod est ab alio, vel ab alijs, & sic innotescit processione. Non autem per hoc, quod alius sit ab eo: quia nulla diuina persona procedit ab eo. Sunt igitur quinque notiones in diuinis, scilicet inascibilitas, paternitas, & filiatio, communis spiratio, & processio. Harum autem tantum quatuor sunt relationes. Nam inascibilitas non est relatio nisi per reductionem, ut infra dicitur. Quatuor autem tantum proprietates sunt. Nam communis spiratio non est proprietas: quia conuenit duabus personis. Tres autem sunt notiones personales id est constituentes personas, scilicet paternitas, filiatio, & processio. Nam communis spiratio, & inascibilitas, dicuntur notiones personarum, non autem personales, ut infra magis patebit.

Ad Primum ergo dicendum, quod præter quatuor relationes oportet ponere aliam notionem, ut dictum est.

E Ad Secundum dicendum, quod essentia in diuinis significatur, ut res quæ tam, & similiter persona significatur ut res quædam: sed notiones significantur, ut rationes notificantes personas. Et ideo, licet dicatur, Deus vnus, propter vnitatem essentia, & trinus, propter trinitatem personarum: non tamen dicitur quinus propter quinque notiones.

Ad Tertium dicendum, quod cum sola oppositio relatiua faciat pluralitatem realem, in diuinis, plures proprietates vnus persona, cum non opponantur adinuicem relatiue, non differunt realiter. Nec tamen de inuicem predicantur: quia significantur ut diuersæ rationes personarum. Sicut etiam non dicimus, quod attributum potentia sit attributum scientia:

61.
2. 23. a.

188.

2. 31. a. 4.
ad 3.

2. 40. a. 1.
ad 1.

* In cor. a.